







10,  
22  
*Act. Cap. XII V. 24.*  
EXERCITATIO THEOLOGICA,

*Quâ*

RESURRECTIONIS  
CHRISTI

VERITAS, AD JUDÆORUM  
CONVICTIONEM: ET EFFICACIA,  
AD CHRISTIANORUM INFIRMORUM

Tum Correctionem tum Erectionem,  
demonstratur.

*Eam,*

*κατὰ τὸ μέτρον τῆς διαφεᾶς τοῦ χειροῦ.*

*Placida & amica Disquisitioni subicit*

JOH. JACOBUS HOTTINGERUS,  
S. Theol. Profess.

*Respondente,*

JOH. CASPARO IRMINGERO, V. D. M.

*Affumente,*

JOH. GEORGIO HIRZELIO, S. TH. STUD.

*Post. Synodi Vernal.*

H. L. Q. S.

---

TIGURI,

EX OFFICINA GESSNERIANA,  
AN. M D CC XXII,





## Thef. I.

Doctrina de  
Christi Re-  
surrectione  
momentum,



**I**ubet, Deo suppliciter in vota vocato, meditari Resurrectionem Christi. Nimirum ut scite vir doctus, apparitione in Sina, & Christi Resurrectione, veritas omnium in Scriptura traditorum, nititur. Christi Resurrectione, Doctrina & miracula Christi omnia, morte ejus quasi obscurata, novum splendorem accepere. Christi Resurrectione, nostra adversus Gentiles irrefragabili argumento evincitur. Est ea tum aurora Gloriam Christi: qua demonstrata, quaeris alia, qua de Christo magna & gloriosa asseruntur, de nomine supra omne nomen ei dato, in quo omne genu flecti debeat, de ejus ascensione in caelum, sessione ad dextram Dei, de reditu ejus ad judicium glorioso, Judicis partibus in eo magnifice exercendis, Sole meridiano liquidiora fiunt. Tum Oceanus, ex quo Justificationis, Remissionis Peccatorum, Sanctificationis, Glorificationis, Corporis etiam nostri, Beneficia, Fluvii illi Ecclesiae Paradisum recreantes, emanant, Rom. 6:4. 11. 1. Cor. 15:13 - 18. 20 seq. Act. 4:2. 1. Thefs. 4:18. Unde qui fiduciam in hac vita Gratiae, in futura vita Gloriam consequendam concipere volet, Resurrectionem Christi corde credere & ore profiteri jubetur, Rom. 10:9. 2. Tim. 2:8. Denique Resurrectione Christi evicta, tota Judaismi moles ruit, & loquacissima ista rana ad *εξουδία* rediguntur: herbam hostes illi pertinacissimi porrigere, & omnibus aliis, qua in N. T. Annalibus de Christo leguntur, manus dare coguntur. Ut demonstratio Resurrectionis Christi, sive Hostes ejus, sive illos consideres qui in Christum credunt, & se



se totos ei dedunt, quosque Pater ei dedit redimendos, quò vitam eis donaret æternam, multiplicem, multoque maximum usum habeat.

II. Hostium adversus quos veritas hæc palmaria defendenda est, Judæi sunt, quos hoc inprimis Caput à Christianis discernit & nonnulli Judaicæ Religionis, nomine potius quàm re, Desertores certe indigni, qui Christiani dicantur. Talis in Christianismi incubulis erat Cerinthus, de quo Epiphanius Hæres. 28: 6. ἀνόητος καὶ ἀνοήτων διδάσκαλος, φάσκεν πλημῆσας χρεῖδόν πεπονημένον καὶ ἐσαυρώσθαι, μήπω δὲ ἐγγιγέρθαι, μέλλεν δὲ ἀνίστασθαι ὅταν ἡ καθόλου γέννηται ἀνάστασις νεκρῶν: Stolidus & stolidorum Magister ausus est dicere, Christum passum quidem & crucifixum, nondum tamen surrexisset: Resurrecturum autem in universali mortuorum Resurrectione. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 14. de Manichæis: μέγχα σήμερον λέγουσι, Φαντασιώδη καὶ οὐκ ἀληθῆ & σωτήριον ἀνάστασιν γεγονέναι. In hodiernum usque diem dicunt, phantasticam non veram fuisse Salvatoris Resurrectionem. Nostro tempore ille minimè Benedictus Spinoza, cujus scripta instar terræ maledictæ non nisi spinas & zizania ferunt, Epist. 21. ad Henricum Oldenburgium: Christi inquit, passionem, mortem & sepulturam tecum literaliter accipio: ejus autem resurrectionem allegorice. Epist. 23. ad eundem: Christi à mortuis Resurrectionem revera spiritualement & solis fidelibus ad eorum captum revelatam fuisse, nempe quòd Christus æternitate donatus fuerit, & à mortuis, (mortuos hic intelligo eo sensu, quo Christus dixit: finite mortuos, mortuos suos sepelire) surrexit, simul atque vita & morte singularis sanctitatis Exemplum dedit: & eatenus Discipulos suos à mortuis suscitavit, quatenus ipsi vitæ & mortis ejus Exemplum sequuntur, Quasi Christus spiritualiter mortuus fuerit, & ante suam resurrectionem, nullum qui animam jam exhalaverat, qui ad sepulchrum delatus, qui jam sepulchro illatus, sed illos demum, qui Christi concionibus ad frugem reducebantur, ut ut nunquam vitam hanc naturalem amiserint, resuscitaverit! His deliriis tamen ita fasciatur, ut non difficile duxerit, totam Evangelii doctrinam secundum hanc Hypothesein explicare: imò Caput XV. Epist. 1. ad Corinth. ex sola hac Hypothesi explicari posse, & Pauli argumenta intelligi: absque eo infirma apparere. Ita isti fucò impiam in Christum mentem tantillum dissimulantes: quia desertà

Hofes: Fu.  
dei clande.  
stini.



Synagogâ Judaicâ, absque Christiani Nominis larva, inter Christianos locum non reperissent.

*Aperti.*

III. Aperti Judæi Resurrectionem Christi non tantum abnegant, sed etiam blasphemant! Probè conscii, se, si ea evicta sit, omni suâ causâ cecidisse, & nullum suppere fucum, quo infidelitatem suam pingant. Jesum Nazarenum ante plura secula natum esse, in Judæa vixisse, docuisse, Apostolos aliosque Discipulos habuisse, per quos doctrinam suam passim per urbem, omnemque Judæam, totum imò orbem promulgari curavit, Judæi non minus quam Christiani fatentur. Etiam de patibulo suspensum, & in eo mortuum, denique & sepultum, credunt, & ad ravim usque crepant. Sed id in argumentum scandalii rapiunt, & incredulitati suæ obvertunt, I. Cor 1: 23. Gloriæ autem Jesu invident, eam insciantur, ejus Confessores persequuntur, eamque ad eò omni studio suffocare & extinguere nituntur. Frivolè planè & impiè ea separantes, quæ illa longè nimis montium fastigiis altior, vasti maris gurgitibus profundior sapientia Dei arctissimè conjunxit: sine quo prius illud, Dominus inquam Gloriæ crucifixus, non tantum sterile, sed sine quo id nunquam vel factum, vel futurum, & ne quidem possibile fuisset. Quis enim exaltari potuisset, si nunquam exinanitus fuisset? Qui resurgere potuisset, nisi mortem gustasset? *Excusæ ergo Resurrectio crucem, ut Augustinus quest. ex utr. mixt. Cap. 114. loquitur, & plenius, solideque deducit. Crux enim, ut cum Ambrosio loquar, non fuit mors Salvatoris, sed mors peccati.*

*Eorum commentum. duplici sensui Messie oppositum.*

IV. Obervandum hic insuper, quòd Doctrinæ de Messia, quæ Librorum V. T. Archeteles & Spiritus est, duo summa Capita sint. Describuntur enim illic, tum τὰ εἰς χριστὸν παθήματα, *Passiones Christi eventuræ, & αἱ μετὰ ταῦτα δόξαι, gloria quæ post passionem ei destinata erant, I. Pet. 1: 11. Eandem διχογνωμίαν* tradit Christus ante passionem, Math. 16: 21, & post passionem suam, Luc. 24: 26. 46. Eandem inculcant Apostoli Judæis & Gentibus Act. 17: 3. Judæi verò tum Christo Coævi, tum infelix eorum posteritas, pervicaciæ, impietatis, ac infelicitatis paternæ hæres ex asse, de Messia passionibus convicta, malè sani, quod Propheta de una persona dixerant, de duabus intelligunt. Duos enim confinxerunt Messias, alterum primò humilem, postea ignominiosè habendum: alterum semper glorio-





gloriosum & victorem futurum. *Illum*, quem pium vocant, Josephi ex Ephraimo filium fore, ab Armillo Hoste suo superandum, imò & occidendum: postea autem per Messiam alterum, quem verum nuncupant Davidis filium, ex mortuis resuscitandum. Ita aliqui Veritatis in Prophetarum scriptis revelatæ radii inventorum oculis se ingerunt.

V. Resurrectioni tamen Jesu Christi bellum indixere, antequam contigisset. Eo enim in sepulchro adhuc quiescente, sepulchrum ejus & presidio militari obsideri, & lapidem Pilati sigillo obsignari voluerunt. Resurrectionem ejus eo impedituri, quod eam deinceps luculentissimè confirmavit. Unde verò hæc furia? Causabantur, si diceretur suscitatus à mortuis, ultimum errorem deteriorè fore priori, Matth. 27: 64. Ita illi ut res ipsa docet, de Christi vita & resurrectione aequè impiè pronuntiant: Suamque in Christum & mortuum & resuscitatum impietatem, & quòd posterior eorum nequitia priori deterior sit, toti orbi declarant. Summa impietate Christum innocentem & justum cruci affixerunt. Majori nequitia Resuscitationi, quam Christus sæpe prædixerat, quamque ipsis ejus Hostibus animus præfagivit, πῶς καὶ λαὸς resistunt. Maximo scelere Resuscitati Gloriam negant & impugnant. Sed ita Deo providente ipsi eam augent.

VI. Postquam enim Christus resurrexisset, Judæorum Syndacium, de terræ motu, Angeli descensu, lapidis remotione, sepulchro & aperto & vacuo, per ipsos illos milites, quorum custodia sepulchrum commiserant, testes minimè suspectos, edoctum & convictum, consilio capto, his præfidiariis numos multos dederunt, eosque dicere docuerunt, Discipuli ejus nocte venerunt, & eum furati sunt, nobis dormientibus. Ne Pilatus milites ex ore proprio judicaret, persuadebimus ei, inquiunt Judæi, & ἀμειψύνας, securus, indemnes, vos præstebimus. Ipsi verò acceptâ pecuniâ fecerunt sicut erant edocti. Et divulgatus est iste sermo apud Judæos usque ad hodiernum diem. Matth. 28: 11-15. Exprobrat hoc scelus Judæis Tertullianus. Justinus M. autor est, Judæorum impietatem his finibus non coercitam. Ut enim Dial. cum Trypb. tradit, ἀνδρες χειροτονήσαντες ἐκλεκτός, non nullos expediverunt in omnem terrarum orbem, indicaturos, quòd hæresis quedam ἀθεοῦ καὶ ἀνομοῦ, impia excitata sit, à



Jesu quodam ( sic blasphemi illi suos instruunt ) impostore Galilæo ; quem à nobis crucifixum, Discipuli ejus noctu ex sepulchro, cui à Cruce sumtus inferebatur, furati sunt. Hi homines desipiunt & dicunt eum resurrexisse, & in cœlum ascendisse &c. Doctorem esse & Filium Dei &c. Item : omnia asseretis esse ἀθεα καὶ ἀνομα, καὶ ἀνόσια, impia &c. Quibus Nicephorus H. E. 1: 34. dicere videtur, quod Judæi eadem suo adhuc tempore sparserint, eum sinistrè interpretantur.

Recensio-  
rum,

VII. Fabulâ hâc multis modis se ipsam strangulante, majori impudentiâ ad majora mendacia se receperunt. Rabani enim Avo, id est seculo à N. C. nono, mentiti sunt, Jesum Nazarenum à Majoribus suis quando depositus est è ligno, & obrutus in sepulchro, ut omnes scirent mortuum, nec resuscitatum iterum, de sepulchro extractum, & retortâ facie per totam civitatem tractum, sicque projectum, & propter hoc, usque hodie, sepulchrum ejus stare vacuum, & esse squalidum lapidibus & sordibus, quas ipsi projicere soleant, plenum. Ejusdem furfuris sunt olida & stolidia semet perimentia mendacia Authoris impii שׂר תולדות אׁר דׁוֹעֲתִים. Huldrico Collega nostro Celeb., cum eruditus Notis editi, pag. 96. & 99. Sed quicquid illi blasphemant, & Diabolus post tot secula, per infelicissimam sobolem hanc suam eructet, antiquissimi Judæorum libri Mischnici, ne ille quidem, qui עֲבֹרָה עֲבֹרָה inscribitur, nihil adversus Christum, ejusque Doctrinam aut Historiam, neque aded adversus ejus Resurrectionem excipiunt : Quod in tanti momenti re haud proletrium desperatâ causâ argumentum est. Equidem Josephus Antiq. Jud. Lib. 18: 4. Resurrectionem Christi commemorat : quo teste allegato Eusebius Hist. Eccles. Lib. I. Cap. II. sic inquit : Quod queso effugium reliquum est illis, qui falsos Commentarios contra istos ( Joh. Baptistam & Christum ) consinxerunt, quò minus tanquam impudentes perspicuè coarguantur ? Non tamen dissimulandum est, hoc Josephi testimonium magnorum Criticorum judicio, si non omninò spurium, suspectum tamen esse, de quo vid. Ittigii Sec. I. N. T. pag. 356-376. Quin jam olim Catiores Judæi causâ suâ aded diffidunt, ut & ipsi abstinere malint à serio cum Christianis conflictu, & aliis ejusdem rei autores sint. Καλὸν ἢν πεισθέντας ἡμᾶς τοῖς διδασκαλοῖς νομοθετήσωσι, μηδενὶ ἐξ ὑμῶν ὀμιλεῖν. Præstabat nos preceptoribus nostris obsecutos, prohibentibus omne cum quoquam vestrum colloquium, Tryphonis Judæi ap. Justinum verba sunt.

VIII.



VIII. Hæc verò Christi Resurrectio eâ serenitate omnium oculis se ingerit & inferit, tantoque argumentorum luculentorum numero, pondere, evidentia subnixâ est, ut nisi ea ad liquidum perducî, & ad conscientiam cujusvis probi demonstrari possit, nihil aliud ostendi queat. Aperi oculos Judæe! Quin, Deo supplex esto, ut oculos tuos aperire dignetur, quò nobiscum *mirabile* hoc Dei opus Ps. 118: 23, pernocere, & brachium Dei, Resurrectione Christi denudatum, videre queas! Lux hæc jam in V. T., clarius tamen & fufus in N. T. Codice se offert. Illinc Resurrectionem hanc certò *expectandam* fuisse, hinc certò *præsitam* esse discimus. Porrò testis Resurrectionis hujus totus est, quâ latè patet orbis. Ipsique pridem Apostoli capitalem hanc veritatem ex his fontibus derivarunt, suisque Auditoribus propinarunt.

IX. S. Paulus Resurrectionem Christi 1. Cor. 15. demonstraturus, nos primùm ad V. T. libros ablegat. *Christus* inquit *ἐγήγερται, resuscitatus est tertio die, κατὰ τὰς γραφάς, secundùm Scripturas, 1. Cor. 15: 4.* non unam aut alteram: nec uno loco, sed passim, de ea differentes. Conf. Joh. 20: 9. Quæ illæ Scripturæ sint, Spiritus S. non dissimulavit. In duas classes dispesci possunt, *Diserta Vaticinia & Typos*. S. Petrus Act. 2: 25-32. demonstrat eam ex verbis Psal. 16: 8-11. Davidem enim quæ illic pronuntiet, non de se ipso, sed *eis ὡτὸν de illo, Jesu Nazareno intelligere. a. Non de se ipso. Loqui enim de aliquo cujus anima non sit mansura in inferno, & cujus caro non visura sit corruptionem.* Id est, de aliquo qui sepeliendus quidem, non tamen eò usque in sepulchro mansurus sit, donec corruptionem, putredinem experturus, vermium esca futurus esset, quique ad eò maturè resurrecturus sit. At Davidem, quod nemo in dubium revocare aufit, corruptionem vidisse, imò etiam num in sepulchro detineri. *b. Davidem, cui verba hæc à Sp. Prophetico dictata sint, concium fuisse, nobilissimam hanc promissionem Messie Filio suo factam. Etenim Deum Davidi non utcunque, aut nudis verbis, sed juramento interposito pollicitum, ex fructu Lumborum ejus, secundum carnem, ἀναστήσεν, se Regem æternum excitaturum.* Petrus adhibet de Natiuitate Messie idem verbum, quo eodem halitu Resurrectionem ejus exprimit. Concludit Petrus, Messiam, *Christum in throno Davidis collocandum.* David hoc *ᾠεῖδὼν, prævidens, cùm dice-*

*Veritas resurrectionis Christi notoria.*

*In V. T. vaticinia prædicta*



diceret: *non delinques animam*, locutus est de Resurrectione Messiae, qui sit idem ille *Jesus*, quem nuper de cruce suspenderit. Urget porro S. Petrus Personae conditionem. Esse enim *Sanctum Dei*. Ratione officii. Quippe à Deo *sanctificatum*, ut populum Dei univèrsùm sanctificaret, sanguine nimirum suo in morte effundendo. *Sanctum* etiam esse, ratione tum Personae, tum morum: absque peccato. Cujus mors effectus quidem fuit inimicitiae & odii serpentis, cruentà illà morte calcaneum feminis Mulieris mordentis, quae tamen non proprii sed alieni peccati stipendium fuit. *Es. 53: 5*. Ut verò mors ejus insultus fuit Principis mundi adversus Christum, ita Resurrectione ejus demonstratum est, quòd nihil in eo repererit morte dignum *Joh. 14: 30*. Hinc ἀδύνατον, *impossibile* fuisse talem & tantum *κατ'εἰσοδόν*, semper *detineri à morte*, *Act. 2: 24*. Insigni huic de Resurrectione Christi vaticinio S. Petrus v. 34. jungit alterum ex *Pf. 110*, de Messia in caelum ascensuro & ad dextram Dei collocando: quod vaticinium non magis in Davide impletum sit, quàm illud de Resurrectione. Nec in Messia, nisi resurrexisset locum habere potuisset. Oraculum ex *Pf. 16*. à Petro allegatum, etiam urgetur à S. Paulo *Act. 13: 35 - 37*. Præmiserat descriptionem Personae Christi, quòd nimirum sit *Filius* ille Dei, quem *Pater genuit*. *Pf. 2: 7*. Qualis *Persona* mori quidem, à morte tamen vinci non potuerit: unde hæc Christi Resurrectio *Rom. 1: 4*. dicitur *ἐκ νεκρῶν, definitio*, demonstratio omni exceptioni major, quòd sit *ὁ υἱὸς Θεοῦ ἐν δυνάμει, Filius Dei in potentia*, in significatione quam vocabulum *Filii* habet prima & maximè propria. De eadem Resurrectione vaticinium à S. Paulo *Rom. 10: 7-9*. ostenditur ex *Deut. 30: 11-14*. *Conf. Es. 53: 8* cum *Act. 8: 35*. Augustinus C. D. XVII. 18. XVIII. 28. plura ejusmodi vaticinia cumulat.

*Adumbrata  
per Typos, &  
Personales.*

X. Ut tum *mors*, tum *sepultura* Christi, ex gr. præcepto illo de omni sanguine effuso, pulvere contendo, *Levit. 17: 13*. ita pariter *Resurrectio* ejus variis typis in V. T. per Spiritum S. delineata. Erant illi *Personales*. *Adamus* ex cujus dormientis costa Deus ei uxorem formavit, quam expergefacto adduxit *Gen. 2: 21. 22*. *Isaacus*, qui cum *triduo* à Domesticis suis abfuisset, totoque illo tempore, in Paterno animo mortuus esset, Deo in holocausto offerendus, altari impositus ac ligatus, ei vivus, *tanquam ex mortuis* revo-



revocatus, redditus est, Gen. 22:4. Hebr. 11:19. *Samson*, qui intra moenia Gazensia conclusus, nocte intempesta portarum valvas ex cardinibus evulsas, in proximum montem detulit, Jud. 16:3. *Ezechias*, qui in tertio die à morbo omnium Iudicio desperato, insigni miraculo convaluit, publicè comparuit 2. Reg. 20:5. *Sacerdotes* ad functiones suas septiduo præparati, octavo sacris functionibus admoti sunt, Levit. 9:1. Eodem refertur quòd *Sacerdoti* sacra facturo, primò vestimentum lineum gerendum: Cinerem extra castra elaturo, vestis alia induenda fuit. Ita *Christus* in monte & sepultura vestem suam vilem, tenuem, corpus mortale obcurum, quasi exiit: Resurrectione corpus gloriosum induit. Sunt qui etiam Typum ostendant in *Mose*, suam ad Israelitas missionem ostensuro, primò leprosam, postea puram manum ex sinu extrahente, Exod. 4:6.7. Deinde baculum in Serpentem, Serpentem in Baculum convertente: Exod. 7:12.13. Ita enim *Christum*, ignominiosè, tanquam leprosum & Serpentis filium fuisset, crucifixum, postea Resurrectione Filium Dei gloriosè declaratum. *Epiphanius Orat. in Resurr. Chr.* eam comparat cum *Josephi*, tùm ex fovea, tùm ex triennali carcere liberatione: Sepulchrum ejus, cum faucibus Leonum *Danieli* non nocentium,

XI. Insignissimus *Christi* resurrectioni typus fuit *Jonas*, de quo ipse *Christus* Matth. 12:39. 40. 16:4. Est autem ea *Filii hominis* cum *Jona* comparatio quadrimembris. a. *Jonas* ut constat, condebatur in ventre ceti: *Filius hominis* deponetur in ventrem, sinum terra. Id est, verè morietur & sepelietur. b. *Jonas* non semper in carcere illo mansit: Sic *Filius hominis*, quanquam id omnibus aliis mortalibus defunctis contingat, non semper detinebitur in sepulchro. Sed c. quemadmodum *Propheta Jonas tres dies & tres noctes* à ceto detentus, vivus & incolumis ab eo redditus est: ita *Filius hominis tres dies & tres noctes* (primi *πρῶτῶν* posteriores, tertii priores horas) in corde terra fuit. d. *Jonas*, postquam emerisset, ad *Ninivitas*, *Gentiles*, divinitus missus se contulit, eosque ad respicientiam adhortatus est, Deo ejus operà ita benedicente, ut *Auditores* ejus in se ipsos descenderint, & ad frugem redierint. Pariter *Christus* post Resurrectionem, *Apostolos* ad *Gentiles* misit, *Spiritu S.* eorum semen fecundante, ut fide ab

Inprimis  
in *Jona.*



eis receptus fuerit, & è potestate Satanæ ad Deum viventem se converterint. Ita Typo hoc non tantùm resurrectio ipsa, nobilesque ejus circumstantiæ, sed uberrimus simul fructus, mutatio rerum in Ecclesia, Gentilium loco Judæorum substitutio, creditum Resurrectione Christi felicitas, lætitia, solatium, incredulorum autem Judæorum gravissimum post eandem Resurrectionem supplicium, a Christo indicatur. Ejusdem *vivificationis & tertio quidem die expectandæ omen*, habes in tota Ecclesia Hos. 6: 2.

3. Reales.

XII. Typi *Reales* ejusdem Resurrectionis erant *Manna*, quæ *sextâ* cadebat, *sabbatho* non apparebat, *primâ* denuò populo sufficiebatur. Exod. 16: 23. seq. *Virga Abaronis*, quæ arida Sanctuario illata, postridie multo manè florènt & fructum ferre conspècta est, Num. 17: 8. *Sacrificia* omnia quò à putredine seu corruptione conservarentur, sale condienda erant, Lev. 2: 13. Marc. 9: 49. Caro Sacrificii in *tertium diem* asservata, igne consumenda fuit. Ita Christo tertio die resurgente *cessavit Sacrificium*, Dan. 9: 25. Leprosi purgatio, facta, inter alia, duabus avibus puris, quarum prior, in testa super aquas vivas maclanda, *mortem Christi cruentam*: posterior, sanguine illius tincta, dimittenda, Christi *Resuscitati* liberationem à peccato, quodque eâ factâ Domicilium in quo habitaret, Ecclesiam, in toto Mundo quæsiturus esset, portendebat. Lev. 14: 4-7. Mundatio hæc à Lepra, illa etiam à profluvio, & à pollutione super mortuo: etiam Circumcisio, quæ iidem à septiduana impuritate mundatio fuit, facta die *octavo*, Levit. 12: 1. 14: 8. 9. 25. 13. Num. 6: 9. 10. Animalia *octavo die* ad Sacrificium apta Levit. 22: 27. Illustris imprimis Resurrectionis hujus typus fuit מניפולו *Manipulus initio messis* Levit. 25: 10. post cujus demùm oblationem usus frugum terræ concessus. Anno quo Christus mortuus est, οὐρανὸν δευτέρῃ σαββάτῳ & *postridianus* Sabbathi Magni, & *primus* Sabbathorum dies fuit, quo juxta legem Manipulus ille fuit offerendus, & secundùm legem & secundùm traditionem Judaicam, in Dierum Cyclo fuit *octavus*, qui Christianis *Dominicus* dicitur. Ita non tantùm triduana Christi in Sepulchro mora, & Resurrectio ejus ipsa, sed etiam dies *tertius*, dies *octavus*, tempus ejus *Matutinum*, variè designata erant. Ipsi Judæi in בראשית רבה tradunt *septem tertium diem* in Scriptura memorari, ut designetur, in illorum *una fore*



*fore resurrectionem Messia*, Spanh. Op. T. 3. 461. notante. Quid verò? Fieri potuit ut tot oracula, tot etiam typi, vel merum ludibrium sensuum essent, vel inanes & steriles, nec adimpleti manerent? Matth. 5: 18. 24: 35. Luc. 16: 17. 24: 44. *Non potest fieri ut exciderit sermo Dei*, Rom. 9: 6. Recipit Deus in se El. 55: 3. Act. 13: 33. se daturum τὸ ἴσραὴλ τὸ πνεῦμα *Gratias fideles Davidis*. Maxima Deus bona Davidi promisit. In eorum censu, Paulo Act. 13: 32. teste fuit Messia Resurrectio. Et ipsa hæc promissio, & bona promissa profluxere ex τὸν *Gratia*, Liberalitate Dei gratuita & gratiosa. Non autem bona ista eo promisit sine, ut Davidem inani eorum spe delectaret, sed quæ solâ gratiâ motus promisit, ea gratiâ eâdem inductus, suo tempore repræsentare voluit.

XIII. *Novum Testamentum* Resurrectionis præstitæ testes & copiosos, & omni exceptione majores exhibet. Aciem ducunt, *vaticinia Christi* de ea. Ordine *primum* occurrit Joh. 2: 19. ubi non nudam Christi de sua Resurrectione prædictionem legimus, Resurrectionem enim hanc proponit tanquam argumentum vocationis suæ ad officium sibi à Deo impositum, & quòd divinitas in carne sua habitet eo fine, quo constaret se illum esse, per quem Templum Domini, id est Ecclesia extrui deberet, juxta Zach. 6: 12. 13. Carnem autem Templum divinitatis suæ esse, inde evidenter patere debebat, quòd eam morte prostratam, & humi dejectam, sua virtute propria esset ejus resuscitatione restitutus: quod nullus Prophetæ facere poterat. Quanquàm enim quibusdam eorum alios, nulli tamen se ipsum resuscitare contigit. Ipso Christo Judice, nisi ex mortuis aliquando resurrexisset, omnia alia, quæ tùm ipse, tùm Apostoli de eo prædicarunt, vana & nulla fuissent. Si autem quæ de Resurrectione sua dixit vera sunt, ut verissima sunt, omnia quæ Christo in N. T. libris tribuuntur, & de eo prædicantur salva & invado sunt. *Alterum* de Resurrectione sua vaticinium *§. 11.* dedimus ex Matth. 12: 39. 40. *Tertium* occurrit Matth. 16: 21. *Quartum* Matth. 17: 9. 23. Pleraque pronuntiata, Judæis importunè miracula sollicitantibus. Ut adeò hæc Christi oracula non tantùm veritatem ejus, sed etiam maximum Resurrectionis Christi momentum pandant, ut pote quæ omnium ejus Miraculorum multò fuerit maximum. De his Christi prædictionibus scitè Chrysoctomus *Homil. 5.*

*N. T. exhibet  
de eadem A.  
Christi vaticinia.*



in 1. Cor., Dicit (Jesus Apostolis suis) post tres dies resurgam : & regnum coelorum promisit. Dixit, Spiritu S. accepto superiores erunt Mundo &c. Nisi hæc impleta sint, etsi viventi obediverint, non tamen paruissent mortuo, nisi resuscitatum vidissent. Dixissent enim, promisit se post diem tertium resurrecturum, non tamen resurrexit : promisit Spiritu S. non tamen misit. Quis poterimus futura credere, que per presentia redarguuntur ? &c. Hæc Christi de sua post triduum Resurrectione prædictio, in vulgus adeò nota fuit, ut ipsos hostes non defectum semper in ore habuissent, & Discipulis ejus exprobrassent. Muhamed, David Al Roi &c. promiserant se post mortem resurrecturos. Id cum non fieret, hoc etiam inter alia indicio impostura eorum patuit. Vide B. Parentis mei *Disq. de Pseudo-Messijs* S. 14.

*Discrimen  
inter Mofis  
& Christi  
in Sepulchrum idem  
Sepulchrum  
&c.*

XIV. In antecessum observamus, diversissimam rationem fuisse & Sepulturae & Sepulchri Mosis & Christi. De priori Deut. 34:6. Jehova sepelivit ipsum in valle quadam, extra Canaan, in terra Moabitaram, & non cognovit quisquam sepulchrum ejus usque in hunc diem. Mosen ergo ipse Deus sepelivit. Christus Mose longè major, humanâ operâ, sepulchro illatus. Mosaici Sepulchri nullum cuiquam hominum vestigium apparuit. Diabolus ipse id ausus quærere, occasionem inde captans populum Dei rursus ad superstitionem & Idololatriam seducendi, omnino frustra fuit. Id enim cum sustineret, Michael Archangelus cum Diabolo *διὰ τῆς νόμου & διαλέξεω*, *disceptans colloquebatur de corpore Mosis*, Jud. vers. 9. eum repressit. At Sepulchrum Christi notum & expositum fuit, non tantum Discipulis, Christi amicis, sed hostibus etiam ejus, Judæis & Gentilibus. Aditus ad id omnibus æquè patuit. Moses cujus lex antiquanda olim erat, in sepulchro manere debuit : donec post plura demum secula, & paucis quidem testibus, paucis etiam momentis apparuit, Christo, in monte sancto ministrans, Matth. 17:3-8. Christi autem sepultura in omnium oculis fieri : Sepulchrum etiam ejus in omnium conspectu esse debuit. Quia & propediem inde emerurus, & de veritate Resurrectionis ejus omnibus, hostibus & amicis constare debuit.

*B. Sepulchrum Christi, tertio die*

XV. Et quidem Sepulchrum Christi, tertio ab ejus morte die vacuum fuisse, *ἀπό τῆς* testes sunt duo Angeli, qui tum Mulieribus,



ribus, tùm Discipulis Christi, solliciti timoris, Christum adhuc mortuum esse, plenis, eumque proin in sepulchro quærentibus, disertè respondent, *eum non amplius illic, nec mortuum amplius esse*, sed resurrexisse & revixisse, vivum non apud mortuos quærendum. Provo-  
 vacuum, Cu-  
 jus rei testes  
 N. Angeli  
 duo.

vacant ad ipsius sepulchri vacui inspectionem. Illas & hos ad reliquos  
 ablegant Discipulos, quibus lætum Resurrectionis hujus nuntium de-  
 ferrent: addito tùm mandato, ut Apostoli universi in Galilæam se  
 conferrent, tùm promissione quòd illic eum visuri essent: ipsius  
 Christi præceptum ea de re anticipatum, in memoriam eis revo-  
 cantes.

XVI. Porrò Sepulchrum Christi, tertio die ab ejus morte <sup>h. Christi</sup>  
 fuisse vacuum, testes & mulieres plures, & duo Apostoli, & ma-  
 gnus hostium, Judæorum & Gentium, numerus. <sup>amici, utri-</sup>  
<sup>usque sexus:</sup>  
<sup>plures; nec</sup>  
<sup>simul.</sup>  
 cum tenebræ tellurem adhuc obscurarent, Joh. 20:1. Maria Magda-  
 lene eamque proximè, *Μαρι Μαγδαληνη, ἀγαθη δαυτ* τῷ ἠλίε, *summo*  
*mane*, Sole primos radios spargente, Marc. 16:1. insequutæ aliæ,  
 præter opinionem sepulchrum reperiunt adaper-<sup>tum</sup>. Mox & de  
 sepulchro vacuo convincuntur. Magdalene hortatu ad idem se-  
 pulchrum festinant *Johannes*, qui cum eò venisset, & se inclinasset,  
 vidit jacentia linteamina: & Petrus, qui intravit in monumentum,  
 & linteamina jacentia vidit, & Sudarium quod erat in Capite ejus, non  
 cum linteaminibus jacens, sed seorsim convolutum in unum locum. Tunc  
 intravit etiam alter & vidit, & credidit, Joh. 20:5-8. Notamus  
 hic a. etiam hos sepulchrum, post accuratam ejus inspectionem,  
 deprehendisse vacuum: ejus adèò rei testes potuisse esse idoneos.  
 b. Etiam Lazarum ex sepulchro prodiiisse, sed ligatum, pedes &  
 manus fasciis, vultu ejus circumligato Sudario, Joh. 11:44. Christus  
 resurgens fascias & sudarium in sepulchro reliquit. Ille enim aliena  
 non sua virtute, ex potestate mortis liberatus: & fortassis ei linte-  
 aminibus istis deinceps denuò opus fuit. Christus & sua virtute  
 resurrexit, & non amplius mortuus. c. Linteamina nec uno loco,  
 nec tumultuariè jacebant, vestigia & vulnerum & condituræ exhi-  
 bentia: ut nullus dubitandi locus fuerit, ea ipsa fuisse, quibus Chri-  
 stus mortuus & involutus fuerit, neque eum clam & vi ex sepul-  
 chro à trepidantibus & festinantibus ablatum, sed vivum prodiiisse.  
 Quid ni enim cum cadavere, etiam linteamina fuissent translata?



Qui fasciæ corporis condituræ jam induratæ inhærescentes revelli potuissent? Qui suo quæque loco tam concinnè fuissent disposita?

Christi ho-  
stes: Genti-  
les & Ju-  
dæi.

XVII. Sepulchrum Christi tertio die vacuum fuisse testes sunt etiam *hostes Christi*. Sole justitiæ ex sepulchro emergente, terra Dominum Gloriæ, quem cum tremore receperat, novo tremore dimisit. Sepulchro divina virtute se ad aperiente, præfidiarii Romani pallidi & tremuli ad Judæorum Proceres se recipiunt, & totam rem edisserunt. Judæi animadvertent, si Resurrectio Christi innotesceret, & fide reciperetur, innocentiam Christi in plano esse: quod genti illi intolerabile visum. Ex eadem confirmari spem Resurrectionis credentium in eum, quod Sadducæi imprimis impugnabant. Milites ergo auro corruperunt, ne quod res erat, dicerent, sed mendacium spargerent de quo *J. 6.* At id vanitate & malitiâ ita pellucet, ut nihil sit, quo tùm Judæi, mendacium impudens suggerentes, tùm milites id spargentes, tùm alii fidem ei habentes, & stultitiam & malevolum in Christum animum magis apicari potuerint. Quid, Sodes, impudentius dici fingique potuisset? Sive milites ad sepulchrum excubantes, sive *Discipulos*, sive *Sepulchrum*, sive *locum*, & *temporis circumstantias*, sive *Pilatam*, sive *Judæorum Synedrium* spectes? *Milites* erant armati, & stipendio auctorati, ut impedirent ne fieret, quod factum esse mentiri docebantur. Unde eis notitia ejus quod ipsis, Leporino scilicet more, oculis apertis, dormientibus factum esse, tantâ confidentiâ asserunt? Et cui persuasissent omnes eodem tempore somno indulissee? Ita somno sepultos fuisse, ut strepitu furum ementitorum non excitari potuerint? *Trepidantes* aufugerunt à Sepulchro. Quid erat cur *Discipulos* vel ad sepulchrum venientes, vel sepulchrum ut fingebant, effringentes, tanta trepidatione, ac præcipatione, pallidi fugerent? *Discipulis* ad eam rem neque satis ingenii, neque animi, neque temporis, neque instrumentorum fuit. Erant inermes, in latibulis hæctenus dilitescebant, moerore ob ablatum Sponsum languentes, & se conficientes. Quorum fortissimum nuperrimè ancillula exterruit, illi præsentibus militibus armatis, tantum facinus ausi fuissent? Cadaver vi extraxissent? *Vi*, vel sepulchro, vel militibus facta? Cur milites non opposuerunt vim? *Arte & fraudibus?* Momentum



tum quo milites dormitent præcisè observantes? Cur Apostoli à Judæorum Senatu eo nomine non in jus vocati, hujus furti accusati, de eo interrogati, ob id puniti? Statim à Pentecoste prima, Resurrectionem Christi publicè prædicarunt. Id Synagogæ malignantium aures & animum acerrimè momordit. Actutum manus eis injecerunt. Ab eisdem Apostolis, coram Senatu, Christi Resurrectio cordatè asserta. Hoc præconio quidem severissimè illis interdictum, Act. 4:2.18. De sepulchro violato, vel Christi corpore inde extracto, altissimum silentium est. *Sepulchrum* ipsum exhibuit linteamina ordine & loco suo disposita, ut vidimus. *Sepulchrum Petræ incisum* erat, *obsignatum* Præsidis sigillo, ne dicam ferramentis compaginatum. Solum ergo hoc ὑπόμαργον ferro excavandum erat. Quibus verò instrumentis Apostoli monumentum hoc intus & foris munitum, aggressi sunt? Quis factum ut dormientes illi milites, tanto strepitu non fuerint expergescècti? Ut nulla hujus rei vestigia reperta sint in Petra? Equidem muri Hierosolymitani in ultima obsidione aliqua parte per cuniculos subruti fuisse dicuntur. Non tamen sequitur, id undique fieri potuisse, quia non eadem ubique terræ ejus indoles fuit. Ecquando tantum facinus ausos dices? Non primo die à sepultura. Diei enim hujus vix trihorium restabat. Non die altero. Fuit is Sabbaticus, & feria Paschalis, cujus religione ducti sepulturae testes, à sepulchro quietis religiosæ capeffendæ causâ domum reversi sunt. Eiusdem diei parte demùm posteriori Synedrium custodiam à Pilato sollicitavit, persuasum, Christum adhuc sepulchro detineri. Restabant tertii diei horæ quædam. Sed quæ? Nocturnæ & pauciores, adeoque illi sceleri sustinendo omnino & ineptæ & impares. Cur *Pilatus* milites negligentiam fastos, inuitos dimisisset, magis quàm Herodes Excubitores nihil tale confessos. Act. 12:19. Constat Romanos. (neque primos, vid. 1. Sam. 26:16) rigidissimos disciplinæ militaris executores fuisse. Denique *Synedrio* Judaico Cadaver Christi ostendere imprimis incumberebat. Nihil autem hujus poterant.

XVIII. Christus vivum se ostendit a. Apparitionibus. b. c. *Christi* Ascensione in cælum. c. Missione Spiritûs S. d. Miraculis. e. *Ju-* Apparitionibus S. Petrus Act. 10:40. Deus ἐδῶκεν αὐ- *ner,* τὸν ἐμφανῆ γενέσθαι, Fecit Deus ut conspicuus fieret post Resurrectionem



nem. Et Lucas Act. 1:3. Παρέστηεν ἑωυτὸν ζῶντα ἐν πολλαῖς τεκιμηλοῖς  
*se se exhibuit vivum cum multis certissimis signis.* Conf. Act. 13:31.  
 Apparitiones has SS. Evangelistæ certatim describunt. Easdem  
 premit S. Paulus, nobilioresque earum tanquàm testimonia Resur-  
 rectionis Christi irrefragabilia memorat, 1. Cor. 15:5-8. Ordine  
 eas exhibuimus in *Harm. nostra Evang. S. 55.* Erant admodum fre-  
 quentia. Ante ascensionem numeramus undecim. Post ascensio-  
 nem duas. Ne plures symbolicas in Apocalypsi Johannis & alibi  
 occurrentes recenseam. Priores illæ non speciem tantum aliquam  
 Christi præ se ferebant, ut *ecstaticæ* Prophetarum. Sed *Hypostaticæ*  
 & reales erant. Non momentaneæ, ut fulguris alicujus simul orien-  
 tis & occidentis: Sed durabant justo tempore, ἅπαι ἡμέρας πλείους,  
*plures* Act. 13:31 & *quadraginta* quidem *dies*, Act. 1:3. Christo in-  
 terea temporis cum illis familiariter agente: ter cum illis edente &  
 bibente, ne spectrum aliquod à se videri semper suspicarentur, Act.  
 10:41. Luc. 24:30. 41. Joh. 21:10. Imò ne dubitare pergerent,  
 ipsissimum illum esse, quem de cruce suspensum suis oculis vide-  
 bant, ostendit eis τόπος τῶν ἰληων, *vestigia* Clavorum manibus suis:  
 & *Lanceæ*, lateri suo impressorum. Apparuit quidem ita semel  
 iterumque uni, sed frequenter pluribus junctis. Porro apparuit  
 Christus omnibus, aut plerisque suis Discipulis. Aliquando à cen-  
 tum & viginti, quin etiam à 500. eodem loco congregatis conspectus.  
 Nimirum debuit Christus ut Sacerdos, cælum tanquam Sacrarium  
 ingredi. Tamen ut Sacerdos die expiationis, oblatione factâ, non  
 rectâ in Sanctuarium, sed in prius tabernaculum se contulit, luce &c.  
 id repleturus: pariter Sacerdos æternus, ante abitum ad Patrem,  
 expiatione jam factâ, in Discipulorum suorum contubernio, fidei illo-  
 rum roborandæ causa, aliquandiu vixit. Ultimi qui Christum resuscita-  
 tum viderunt, fuere Stephanus, Act. 7:55. 56. & Paulus Act. 9:12.  
 1. Cor. 9:1. 15:8. Minimè enim Paulus 2. Cor. 5:16. asserens,  
*ab hoc tempore neminem cognoscimus secundum carnem, Cognovimus*  
*Christum secundum carnem, sed nunc non amplius cognoscimus,* negare  
 vult, quæ impia Spinosæ Ep. 25. detorsio est, se Christum in carne  
 vidisse. Ut enim non Christum, ita nec alium quemvis, non in carne,  
 seu carne præditum esse, sed secundum carnem nosse voluit. Sed ut  
 ipse Christum nôrat legi aliquando subditum: eum eadem semper  
 deti-



detineri fervitute, agnoscere noluit: ita noluit credentes in Christum rebus carnalibus operam dare, vel pedagogis eas exigentibus subijci

XIX. Ineptit Spinoza Epist. ad Oldenburgium 23. hanc Christi Apparitionem non absimilem esse illi, qua Deus Abrahamo apparuit, quando hic vidit homines, quos ad secum prandendum invitavit. Huic Epist. 25. jungit: Omnes Israelitas credidisse, quòd Deus è caelo igne circumdatus ad montem Sinai descenderit, &c. Nihil enim illà Christi apparitione, & istis Dei, Abrahamo ac Israelitis factis, dissimilius. Ne dicam illam toties & pluribus, istam uni, hanc semel contigisse. Scopus earum fuit diversissimus. Deus Abrahamo & Israelitis apparens, voluit eis persuadere, quòd Deum viderint: minime persuadere voluit, se non esse Spiritum, non esse infinitum, non implere coelum & terram. Apostolis semel iterumque Resurrectio Christus prædicta. Jam de ea edoctos semper scrupulus torfit, veræ ne essent Amicorum narrationes, & testimonia Resurrectionis Christi illis obvia? Quòd ergò omnis hæsitatio eorum mentibus pelleretur, & convincerentur non spiritum aliquem, sed verum hominem, eundem qui ante Crucifixionem cum eis conversabatur, eis redditum, enixissimam operam dedit. Eisque tandem plenissimè persuasit. Falsissimus certè fuisset Abrahamus, si eum qui secum prandebat, postquam cognoverat eum esse Jehovam, non Spiritum in visibilem, æternum &c. sed hominem, carnem & ossa habentem reputasset. Non minùs falsi fuissent Apostoli, si eum cujus sepulchrum vacuum esse viderunt, qui toties cum ipsis convivatus est, cujus vulnera contrectarunt, non hominem, sed spiritum, substantiam inextensam credidissent.

XX. Inquias, Historia Resurrectionis Christi unicè eorum fidenititur, qui in Christi schola instituti erant. Quidni horum testimonium suspectum sit? Si nulla malæ fraudis suspicio locum habere debet, cur non *Senatui, Pilato*: nec cuiquam infidelium, sed *Sanctis* tantummodo hominibus apparuit? Ita quidem Spinoza Epist. cit. & ejus similes Athei. *Æ. 1.* Apostoli certè, Petrus, & Johannes, primi Resurrectionis Christi præcomes, è Christi Schola prodierunt. An etiam Paulus, & multæ illæ *Judeorum Myriades*, quæ Act. 21: 20. credidisse dicuntur? An exercitus Gentilium, qui Doctrinæ



de Resurrectione Christi, paucis ab ea annis, accesserunt? 2. Herodes non dubitavit, verum esse quod pauci numero Magi de Rege Judæorum Hierosolymis nato, & stella ejus ab ipsis in Oriente visa assererant: ut ipse nec natiuitati Regis interfuerit, nec vel natum, vel stellam ejus viderit. Nimirum fides eorum quæ Deus vel dicit, vel facit, pendet ab autoritate & consensu certorum hominum, qui nisi ipsi Deum cum Prophetis loquentem audiverint, præsentia ejus Symbola viderint, à Prophetis dicta calculo suo confirmaverint, neque ipse Deus, neque Legati ejus fidem merentur? Secus pronuntiat Esajas, 7: 9. *Nisi credatis, non subsistetis.* Et Christus Joh. 19: 20. *Beatus qui credit ut non viderit.* Conf. Joh. 7: 17. 1. Pet. 1: 8. Credimus Christum ad dextram Dei esse, etsi eum non, ut Stephanus, corporeis oculis illic stantem viderimus. 3. Christus ante passionem suam, Judæis videntibus, fruentibus, gaudentibus miracula fecit, eis tamen non crediderunt. Non magis commoti fuissent, si vel ipsum, vel nova ejus miracula post Resurrectionem suis oculis usurpavissent, Luc. 16: 29-31. 4. Christus noluit post Resurrectionem à Judæis conspici, in talionem inexpugnabilis eorum incredulitatis: juxta denuntiationem eis apertè factam ante passionem, Joh. 7: 33. seq. 12: 35. 14: 19. Homines indignos, ingratos, flecti & corrigi nescios, periodo Ministerii sui publici exacta, & exantlata, Christus denuò ad gratiæ suæ consortium invitare noluit. 5. Hostibus apparere noluit. Moriente tamen eo vita multis red-dita Sanctis qui urbem sanctam ingressi, multis (hostibus an amicis? non traditur) apparuerunt: *ut ex eorum Resurrectione*, ait Euthymius, *alii certiores redderentur, & de Resurrectione Christi cogitantes, quòd qui hos suscitavit, multo magis se ipsum suscitavit.* 6. Cum Christus coram Synedrio compareret ab eis judicandus, denuntiauit eis Matth. 26: 64. eos ipsum aliquando visuros, & quidem in Gloria, non tamen statim à Resurrectione sua, sed postquam collocatus fuerit ad dextram Dei: nec ante diem quo omnes mortui in vitam revocandi, & ab ipso gloriosè ad omnium hominum judicium redituro judicandi sint. Quod pridem docuit, Zach. 12: 10. Oraculum hoc à S. Johanne, Apoc. 1: 7. repetitum.

*Minimè  
sunt ab E-  
vangelistis  
ficti.*

X XI. Frustra dicas, Apparitiones has cunctas esse fictas. Quoniam documento, quo fraudis specimine, tam impii facinoris suspi-



suspicione viri innocentes premuntur? Imposuissent aliis vel ex malitia, vel ex calliditate: à qua utraque longissimè abfuerunt. Nec simplicitas aut credulitas, cui absque multo labore quid vis suggeri & persuaderi potuerit, locum hic habuit. *Mulieres* quæ primum Resurrectionis Christi nuntium ad Apostolos detulere: *Apostoli* qui ejusdem fama & fide deinceps orbem impleverunt, erant simplices, i. e. candidi & ingenui: non ita tamen creduli, ut cuius rumori vel suggestioni fidem adhibuerint. Nuntio de Christi Resurrectione non crediderunt, nisi post multas tergiversationes, explorationes, evidentes convictiones. Cum Christus *ante Passionem* eis suam Resurrectionem toties prædiceret, ignorarunt quid sit *ex mortuis resurgere*, Marc. 9: 10. 32. Qui enim Messia & Filii Dei ignominiosam in cruce exaltationem non expectabant, imò eâ quoties Christus de ea differebat, offendebantur, non magis Resurrectionem ejus concipere poterant, oraculorum eam prædicentium *ignari*, i. e. securi. Conf. Joh. 2: 22. 20: 9. *Post Resurrectionem* dicentibus se eum vidisse, fidem denegabant. Cum ipsis se conspiciendum præbuisset, aliqui adhuc hærebant an non spectrum viderent? Nebulæ quæ hucusque eis obversabantur demum ex familiari Christi cum eis per XL. dies convicti disparuerunt. Tam variis, luculentisque *remonstrations* nisi fidem tandem adhibuissent, non cordati, prudentes, sed stulti, ratione, facultate verum à falso discernendi destituti dici debuissent. 2. Fieri nequit, vel tales circumstantias à pluribus, v. gr. duodecim, nedum 120., minimè à 500. personis fingi, vel de una re multis circumstantiis vestita, easdem circumstantias a tot personis dispersis, etiam post plures annos constanter narrari. 3. Qui fingit aliquid, fraudis socium ægrè admittit. Si fortassis uni & alteri se aperiat, id timidè agit: conscius instantiæ & perfidiæ humanæ: nec facile aliquem reperit, cui se denudet. Deterretur enim metu infamiæ, aut multæ, si fraus detegatur, sustinendæ. 4. Nemo se mendacii tuendi causa facile periculo præsentissimo exponit, nisi stolidus, projectus ad quidvis audendum &c. cujusmodi in Resurrectionis Christi præconibus primis ne umbra quidem apparet. Neque favoris mundani, famæ, lucri, similibusve rerum spem ex ejusmodi commento ullam capere poterant: certi hanc doctrinam nihil nisi odium hominum, & deterrimam



mam hujus vitæ sortem sibi conciliaturam. 5. Doctrinâ de Resurrectione Christi quid aliud voluerunt, quàm terræ incolas ad Dei amorem, studium gloriæ ejus, &c. incendere: Morum probitate, cogitationum sanctitate, dilectione inimicorum, desiderio rerum cœlestium sæcundos reddere, fidem in doctrinam per Prophetas datam instillare? Quæ omnia cum ex doctrina de Resurrectione Christi pronissimè fluant, & conscientiam arctissimè ad ea astringant, ea non Sathanam mendacii Patrem, sed solum veritatis Spiritum authorem habere potest. Non ergo lusus aliquis phantasiæ, neque malè feriatorum aliqua conspiratio, sed conscientia, *Phœg. insinuat* Divini Spiritus, rei sanctitas, magnitudo, utilitas, veritas, certitudo, evidentia hanc & persuasionem & professionem primis Christianis extorserunt. Unde in corona Senatûs Judaici, juratorum Christi hostium, pænâ capitis si Resurrectionem Christi asseverare pergerent, eis denuntiata, constanter perrexerunt in officio suo præstando: additâ protestatione, se Deo, ad testimonium veritati huic dandæ ipsos vocanti, magis obedire debere quàm hominibus testimonium hoc nec audire volentibus, nec aliis prædicari permittentibus. Ut nisi pessimus, & qui se calumniarum reddere omnino suspectum velit, eos fictionis alicujus suspitione premere nequeat. Ostende ex tot seculorum Historiis, tot homines, ultra quingentos, passim toto orbe palantes, in re ab ipsis effecta, iisdem circumstantiis recensenda, tam consentientes, & adversùs orbis minas, carceres, verbera, gladios, furcas, rogos, tam constantes fuisse. Quid multis? Quot argumenta suppetunt quibus doctrinâ & librorum N., imò etiam V. T. veritas demonstratur, totidem rationes suppetunt, quibus apparitionum Christi post Resurrectionem *asphærea* evincitur. 6. Qui levitate mentis quidvis deglutiunt quod illis propinatur, non illicò in sui similes incidunt, ut aliis sua placita persuadeant. Non autem minus simplices & stulti fuerint quivis alii qui quovis tempore huic de Resurrectione Christi doctrinæ fidem habuissent. Quod quisquis delirat, is est Anticyras melior sorbere meracas.

*D. Functio  
Apostolica.*

XXII. Christo in cœlum sublato, S. Petrus in confessu hosti in ejus, ad geminum tunc temporis in terra conspicuum omnique exceptione majus testimonium provocat. Commemorata enim Christi Resurrectione subjicit, Act. 5: 32. *Et nos sumus Christo testes*



testes horum quæ dicimus : atque etiam Spiritus ille quem dedit Deus iis qui dicto sunt audientes ipsi. Etenim Apostolatus ipse, testimonium tum aliorum quæ Christus & dixit & fecit, tum Resurrectionis ejus fuit. Hinc Petrus, cum in locum proditoris Judæ Apostolus eligendus esset : Oportet, ait, ex iis viris qui nobiscum convenerunt toto tempore quo Dominus Jesus εἰσαγγέλλετο καὶ ἐξηγγέλλετο ἐφ' ἡμᾶς versatus est inter nos &c. fieri nobiscum, *μαρτυροῦντες τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ* testem Resurrectionis ejus, Act. 1: 21. 22. Et in domo Cornelii : Hunc Deus suscitavit tertio die, fecitque ut is conspicuus fieret, non toti populo, sed *μαῖστοροι τῶν ἑσπερινῶν* testibus quos ipse prius designaverat. Nimirum nobis qui comedimus ac bibimus una cum eo, postquam resurrexit à mortuis. Act. 10: 40. 41. Donec iisdem inspicientibus nube in cælum evectus est : triumpho, quocum magnificentissimi omnium Romanorum Ducum & Imperatorum triumphi, non magis comparari merentur, quam Sol cum cicindela. Primâ Pentecoste, in frequentissimo Auditorio S. Petrus : Hunc inquit *Ἰησοῦν* Deus resuscitavit, *cujus rei omnes nos testes sumus*, Act. 2: 32. Confer 24. Nec alia furoris belluini, insidiarum, conspirationum, maximè præpotentium in sua gente Sadduceorum, causa adversus Paulum fuit, quàm constans ejus inculcatio Doctrinæ de Resurrectione, imprimis de Resurrectione Christi. *Ego in Judicium vocor hodie coram vobis de Resurrectione mortuorum*, Act. 24: 21. Conf. 23: 6. 26: 8. Accusatores ejus coram Felto ei præter quasdam quæstiones, non objiciebant, nisi illam de Jesu defuncto, quem Paulus vivere aiebat, Act. 25: 19. *Si ergo Christus non resurrexit ἐπεσπούμεθα* reperimus falsi testes Dei. *Quia testati sumus de Deo quod Christum excitavit, quem non excitaverit*, ejusdem Pauli 1. Cor. 15: 15. verba sunt. Mentimur, inquit, ad Gloriam Dei. Dicimus Deum Gloriam suam patefecisse: Esse amandum, laudandum, gratias ei deberi ob opus & beneficium, quod ab eo non accepimus. Resurrectio Christi Deo multis modis gloriosa est. Ea virtutes Dei quam plurimas, in Christo Mediatore, Justitiam, potentiam & sapientiam, erga peccatores clementiam &c. ad conscientiam nostram patefacit, & demonstrat, nec aliunde gloria harum perfectionum limpidius & liquidius patet. Imò sine hoc Dei opere non constabit, hominum Conditori, ulla gloria ex hac creatura, ut Cl. Coccejus 1. Cor. 15.



§. 86. luculenter ostendit. Nisi ergo Christus resurrexit, doctrinæ hujus prædicatio & inculcatio Deo non est gloriosa, Deo non placere potest: quin Deo probrosa & dedecori est, & tantum abest ut ejus præcones Gloriam Dei promoveant, ut potius eam misericordie obsecrent. Deus enim se ipso abundè gloriosus, mendaciam non indiget. Vir probus, quales Apostoli erant, non nisi in re sibi perspectissima & explorata testem agit. Nec alios quàm certo proborum testimonio utitur. At si Christus non resurrexit, sequitur Deum subornasse testes mendacii. Apostoli enim provinciam promulgandæ Resurrectionis Christi non spontè occuparunt, sed mandatum ejus rei à Deo acceperunt. Hanc vocationem tum dono miraculorum, tum irrefragabilibus testimoniis ad quorumvis conscientiam ostendere potuerunt. Quod si ergo Christus non resurrexit, Deus eis Author fuit falsi testimonii suo nomine dicendi: & miracula sunt sigilla quibus Deus mendacia Apostolorum confirmat. At hujus nil quicquam sine atroci blasphemia de Deo cogitari potest. Spinoza quidem *Epist. 25.* fatetur, *Resurrectionem Christi ab Evangelistis, iis narrari circumstantiis ut negare non possimus, ipsos Evangelistas credidisse Christi corpus resurrexisse, & ad cælum ascendisse, ut ad Dei dextram sederet. Et quod ab infidelibus etiam potuisset videri, si una in iis locis adfuissent, in quibus ipse Christus discipulis apparuit.* Sed addit malè sanus, *eos salva Evangelii doctrina in hoc potuisse decipi, i. e. Christianismum fundamento ejus everso, saluum manere potuisse.*

E. Effusio  
Spiritus S.

XXIII. Luculenta Christi resuscitati, Act. 5: 37. allegata demonstratio altera, est Spiritus S. primâ novi Test. Pentecoste, ex promissione Joh. 7: 39. Act. 1: 4. sqq. Apostolis tam liberali mensura donatus. Christus enim resuscitatus & dextrâ Dei sursum sublatus promissum Spiritum S. adeptus à Patre, effudit eum ita, ut magnus Judæorum præsentium numerus cernebat & audiebat, Act. 2: 33. Petrus nominatim Authorem tanti doni declarat Jesum Christum nuper publicè crucifixum & sepultum. Si is adhuc in Sepulchro, & in mortuorum numero fuisset, non potuisset tantum beneficium eis conferre. Neque Deus tanti beneficii exhibiti sigillo confirmasset eorum de Christo resuscitato doctrinam, si falsa fuisset. Mortuus in sepulchro adhuc latens, esca vermicum factus, non potuit effundere Spirit-



Spiritum: non exaltatus ad dextram Dei, non potuit eam promissionem accipere: non sedens in throno, non potuit alios armare. Unde 1. Tim. 3: 16. τὸ ὁμολογούμενος μέγα μυστήριον *Mysterium pietatis sine dubio magnum à Paulo inter alia constituitur in eo, quod Christus ἐδιδάσθη ἐν πνεύματι, justificatus in Spiritu. Quin effusio Spiritus S. & in nomine Christi à Patre, & per ipsum Christum, prima hac Pentecoste & deinceps facta, aliqua Christi δικάσις, Justificatio fuit: Testimonium Patris & Filii, quo manifestare voluerunt, Christum esse servum Dei justum, qui perfectam habeat justitiam, & in quo nos reddamur Justitia Dei.*

XXIV. Nec minus insignis demonstratio Resurrectionis Christi, fuere Miracula per Apostolos patrata. Hinc Petrus primo miraculo à se edito, sic inquit: *Deus ille Abrahami glorificavit Filium suum Jesum, quem suscitavit à mortuis: cujus rei nos testes sumus. Et per fidem in nomine ipsius, hunc quem conspiciitis ac nos, confirmavit nomen ipsius. Fides inquam quæ per ipsum est, dedit ipsi integritatem banc coram omnibus vobis, Act. 3: 13 - 16. Quin quotquot miracula ab his Resurrectionis Christi testibus profecta sunt, sunt autem innumera, totidem sunt testimonia & Sigilla, quibus Deus hanc illorum Doctrinam ratam esse voluit. Signa enim & prodigia, variaeque virtutes, & Spiritus S. distributiones pro sua voluntate, per Apostolos dispensata, fuerunt συνεπιμαρτυρία, Testimonium quo Deus hoc doctrinae Apostolicæ Caput, & Religionis Christianæ fundamentum roboravit, Heb. 2: 4. Marc. 16: 17. 20. Act. 4: 33. 5: 16. 6: 8.*

XXV. Postquam Spiritus S. Act. 4: 33. dixisset, Apostolos *G. Efficacia testimonium Resurrectionis Christi edidisse μεγάλη δύναμις magna doctrinae virtute, videlicet Miraculorum, tum insignium tum multorum, ad-christi inquit, χάρις τε μεγάλη ἢ ἐπὶ πάντας αὐτοὺς, Gratiam Dei super illos Judæis. (Auditores, verbo Apostolorum fidem habentes) fuisse magnam. Ut inquam Apostolis Resurrectionem Christi asserentibus crederent, minas & fremitus Synedrii Judaici æstantis & sudantis nihil reverentii. Hinc etiam fidem suam demonstrarunt operibus charitatis, iisque nec paucis nec vulgaribus, sed rerum suarum venditione & in communem necessitatem erogatione, quibus omnibus Apostolicum de Christi Resurrectione testimonium confirmabatur.*

XXVI.



✻ Genibus.

XXVI. Ambiget adhuc, sive Atheus sive Judæus, de Resurrectionis Christi veritate, quum vim quam in Gentilibus exercuit ad animum revocaverit? Pollicitus est Deus Abrahamo, se omnibus Gentibus in ejus Semine benedicturum, Gen. 12:3. 18:4. 5. Cum illi tot seculis absque Deo, absque Christo essent, fors eorum mature post Christi Resuscitationem in melius mutata. Id ipse Christus à Resurrectione sua tanquam fonte derivat. Sic enim Joh. 12:24. Amen, Amen dico vobis, nisi Granum tritici tradatur in terram & moriatur, ipsum manet solum. Si verò moriatur, nullum fructum fert. Quæ causa solitudinis circa Christum ante ejus mortem, etiam inter ipsos Judæos? Alii eum impio ore blasphemabant. Alii simulabant se in eum credere: sed ejus Scholam vix ingressi, scandalizabantur: Ut fuerit אישׁ חרל deficiens virorum, Es. 53:3. non nobiles sed piscatores, mulieres, lactentes, Fecem populi circum se habens. At mortuo, & ex morte in vitam revocato, quanquam non ipse sed per Apostolos doceret, & juxta oraculum Pl. 40:10. 11. 22:23. *Justitiam Dei in cœtu magno, ac nomen Dei fratribus predicaret*, non multæ tantum Judæorum myriades, Act. 21:20. sed tot Gentilium regna, nomen dederunt. Id Christus post Resurrectionem suam futurum, prædixerat. Eventus respondit. קרת גוים Congregatio Gentium ad eum facta, Gen. 49:10. Solo Evangelii sono exciti, qui hæctenus Idolis litarunt, cœli & terræ Conditori & Domino se dederunt, à Diabolo & Idolis ad Deum vivum se converterunt, ad ejus nutum se componunt totos, genua flectunt in nomine Jesu ad Gloriam Dei Patris: quod uti Deo gloriosum, gratum & ratum, ita hominibus non potuit non esse salutare. Christus enim primus ex Resurrectione lucem annuntiavit Judæis ac Gentibus, Act. 26:23. Ante hanc Christi Resurrectionem tenebris immerse erant non modò Ægyptus, sed ipsa Gosen: Judæi inquam Matth. 4:16. & reliquis orbis Eph. 4:18. 5:8. At Christus venit quòd & vita, & lux hominum foret, Joh. 1:4. Primus ex Resurrectione lucem utrisque annuntiavit. Quanquam enim non omnium primus surrexit, πρῶτος primus tamen, imò & unus, solus ex iis qui vel hæctenus resurrexerant, vel olim resurgent, imò etiam virtute hujus suæ Resurrectionis, immortalitatem & sibi & omni populo Dei conciliavit: præstantissimumque hoc beneficium tum suâ ipsius, tum

Aposto-



Apostolorum voce Judæis & Gentibus annuntiavit : lucemque ad eò hominibus attulit. Vera lux hominis, est sapientia Vera autem demum sapientia est, tum solidam felicitatem suam, intimam eamque perpetuam cum Deo communionem : tum medium ad eam pertinendi, Christum, cognoscere. Hæc lux Resurrectione Christi plenis radiis emicuit, & nos serenavit. Hinc Paulus, optimus verborum suorum interpres, 2. Tim. 1: 9. 10. *Salus inquit & vocatio nostra Sancta, nunc nobis est manifestata per apparitionem Salvatoris nostri Jesu Christi, qui mortem quidem abolevit, vitam autem & incorruptionem illustrem fecit per Evangelium, sive annuntiationem.* Quidni ergo verum sit quod & ipse de futura : & Apostoli, de præterita Resurrectione testati sunt ? Eodem tendunt illa Christi, *Ego cum elatus fuero ex terra* (in crucem, & dehinc in cælum. Quid enim boni, ex Crucifixione ejus, ad nos redundasset, si in Sepulchro mansisset, nec resurrexisset ?) *omnes, Judæos ac Gentes, traham post me,* Joh. 12: 32. Hinc Paulus Col. 1: 6. de Sermone Evangelii, *est apud vos, ut & in toto mundo, & fructificat.* Deo scilicet ita sacrificium Christi glorificante, & sibi acceptum esse testificante. Deus enim Filium suum Jesum non minus Resuscitatione ejus, quam effusione Spiritus S., & per Miracula Apostolorum, glorificasse dicendus est Act 3: 13. 4: 10. Huc faciunt illa Augustini in Psalm. 101. *Ante Resurrectionem non agnoscebatur à populo suo, & maxime crucifixus ex infirmitate, latuit quis esset, donec fortis resurgendo appareret. Post Resurrectionem vocavit Ecclesiam de toto Orbe Terrarum, jam non infirmus in Cruce, sed fortis in Cælo.* Non enim Laus fidei Christianorum est, quia credunt mortuum Christum, sed quia credunt resurrexisse Christum. Nam mortuum & Paganus credit, & hoc tibi pro crimine objicit, quia in mortuum credidisti. *Que igitur laus tua ? Credere resurrexisse Christum, & sperare te resurrecturum esse per Christum.* Et quis non videt Christum qui in Cælum ascendit, & ad dextram Dei exaltatus est, hodieque in medio tot & tam potentium hostium suorum regnare ? Fieri id non posset, nisi ex mortuis esset resuscitatus.

XXVII. Quid ? quod Deus qui in V. T. *memoriam fecit Sacramentorum mirabilibus suis,* Plal. III. 4. pariter in N. T. Resurrectioni Christi, quæ tum Baptis-  
omnibus Dei, sive in V. sive in N. T. patris mirabilibus, & collatis  
tis beneficiis, palmam facile præripit, memoriam tum perpetuam,  
tum



tum epidemiam, & ab omnibus, in se ipsis concelebrandam extare voluit. Mortui alicujus Resuscitatio sine dubio inter tot miraculorum genera agmen ducit. Quis enim neget, majus esse mortuum vitam reddere, quam cæcum, claudum, &c. valetudini restituere? Quid verò concipias majus, quam mortuum, suâ ipsius ope & vi, vincula mortis evadere? Hujus memorabilis & mirabilis operis sui Christus, imprimis in eorum gratiam, εἰς εὐχὴν τῶν αἰώνων κατ' ἔξοχον qui postremis mundi seculis victuri erant 1. Cor. 10: 11., memoriam in Ecclesia stabilivit, omni loco & tempore ad consummationem seculi duraturam: non ab uno, sed ab universis, quotquot nomen suum Christo daturi sint, retinendam: non denique unam sed plures. Neque enim qui memorabilia hæc non observaverit, & ipse exercuerit, discipulus dici meretur. Memorialium horum primum est S. Baptismus, à Christo ipso demum post suam resuscitationem per Ecclesiæ Ministros, omnibus Discipulis suis administrari iussus. Hunc quisquis Christianus haberi vult admittere tenetur. Quisquis eum vel fastidit, vel egerat, Christianus vel non est, vel esse desinit. Quid autem Baptismus est, nisi publica & realis professio, te, me, sermò credere Christum esse ex mortuis resuscitatum? Dic fodes, quis illius usus? Quis fructus? Quæ ejus, sive mores, sive fidem, & consolationem tuam ex doctrina Christi spectes, vis, nisi à Resurrectione Christi? Aut ignoratis, nos quotquot baptizati sumus in Christum Jesum, in mortem ejus baptizatos esse? Consepulti sumus igitur ipsi per Baptismum in mortem: ut sicut resurrexit Christus ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus, Rom. 6: 3 4. Consepulti ipsi estis in Baptismo, in quo etiam una excitati estis per fidem operationis Dei, qui ipsum excitavit ex mortuis. Col. 2: 12. Nos salvat Baptismus, non carnis depositio sordium, sed conscientia bona interrogatio in Deum per Resurrectionem Jesu Christi, 1. Pet. 3: 20. Hinc & Theodoretus in Rom. 6: 4. ἐν βαπτισμῷ σὺ καὶ θανάτου, καὶ τῆς ἀναστάσεως νεοκαινώσεως, in Baptismo tu & mortis Resurrectionis Christi particeps factus es. Vulgò etiam ritum im- & emerisionis ex aqua, Orientalibus in Baptismo receptum, ad Christi Sepulturam & Resurrectionem referebant. Ut totidem sint Resurrectionis Christi testes, tubæ, dicam etiam Apostoli? quotquot Baptismi Sacramentum recipiunt. Baptismi enim receptio, sine fide Resurrectionis Christi, profana &



na & ludicra gesticulatio est. Quis autem dixerit, tum tot Judæorum millia Bapismus admittentia, tum tantum Gentilium per Apostolos converforum numerum, ritum in se, & quidem vitæ periculo recepturos, aliis tradituros & commendaturos fuisse sub hac conditione, ut Christum resurrexisse credant, nisi rei suo ævo gestæ evidentissima & conscientiam ab omni hæsitatione & scrupulo liberantia argumenta habuissent?

XXVIII. Alterum monumentum quovis ære perennius, quo Christus Resurrectionis suæ fidem confirmare voluit, est S. Eucharistia. *Et Eucharistia.* Ea quidem in memoriam Corporis Christi pro nobis fracti & Sanguinis effusi, nobis data & dictata est, 1. Cor. 11: 24. 25. *Quoties de pane eo edimus & de vino illo bibimus, mortem Christi annuntiare jubemur, ib. 27.* Sed qui mortuus erat, revixit, & vivit *eis τὴς αἰώνης τῶν αἰώνων*, in seculorum secula, Apoc. 1: 18. 2: 8. sine quo nimirum Mors ejus sterilis esset, & fructu careret: Ut semen in terram projectum perit, nisi revirescat, & germinet. Jubemur etiam *loc. cit.* memoriam mortis Christi concelebrare, *donec redierit*, nimirum in Gloria, ex Coelo, ad judicium. Talem nisi resurrexisset, frustra expectaremus. Quoties ergo in S. Eucharistiæ usu, Deo de morte, quam Christus pro nobis gustavit, gratias agimus, memores etiam sumus victoriæ quam de morte reportavit, cujus certissimi reddimur ejus Resurrectione. Quis cuiquam sana mente prædico, hujus etiam Sacramenti usum persuasisset, si vel minima primis Christianismi seculis dubitatio de Resurrectione Christi fuisset reliqua? Nec omni destituantur ratione, qui 1. Joh. 5: 6. 8. *aquam*, obedientiæ Christi, & *Sanguinem* passionis Christi emblema, sanctificationis & justificationis nostræ fontem, cum *Spiritu S.* in Ecclesiam effuso, Evangelium testimonio suo confirmantes, ad duo ista Sacramenta referunt.

XXIX. *Tertium* Resurrectionis Christi *μνημόσυνον* est, *Dies Dominica.* in Cyclo Hebdomadari, non ut ante Christi Resurrectionem septimi, sed *primi*, ab ipsis Christianismi primordiis sanctificatio, ad cultum religiosum destinatio, nec non *κυριακῆς* *Dominicæ* denominatio, 1. Cor. 16: 2. Act. 20: 7. Apoc. 1: 10. Quia nimirum summo diei illius mane, sepulchrum in quo Christus condebatur, vacuum, & à militu Pilati obsidione liberatum deprehendebatur. Denique quia



Christus eodem illo die Discipulis suis totiens vivus apparuit. Hunc ritum in Ecclesia Christiana per tot secula absque interruptione continuatum, & quidem in Resurrectionis Christi memoriam celebratum esse, testes sunt, Doctores Christiani, Christi ævo proximi. Justinus *Apol.* 2. fin. τὴν δὲ Ἐκκλησίαν ἡμέραν κοινῇ συνόντες τὴν συνέλευσιν ποιήσασθαι Die Solis Conventus celebramus publicos: præmissâ ratione, de Luce, die illo creata, addit, ἰησοῦς χριστὸς ὁ ἡμέτερος σωτὴρ τῆ αὐτῆ ἡμέρας ἐκ νεκρῶν ἀνέστη, *Jesus Christus Servator noster eodem die ex mortuis resurrexit.* Ita Ballamo in *Can. Apost.* 66. τὴν κωδικὴν ποιήσασθαι διὰ τὴν Ἐκκλησίαν ἡμῶν ἰησοῦς χριστὸς παγκόσμιον χαρῶν καὶ ἀναστάσεως, *Dominicam celebramus propter Domini & Servatoris nostri universale gaudium, & resurrectionem.* Gaudium hoc testabantur abstinentiâ illo die tum à Jejunio, tum à Genuflexione. Concilium Constantinopolitanum VI. in Trullo celebratum, *Can. 90. τῶν κωδικῶν, Dominicis genu non flectere, ἐκ τῶν Θεοφόρων à Divinis nostris Patribus, Christi Resurrectionem honorantibus, canonicè accepimus.* Ne ergò hujus observationis evidentiam ignoremus, fidelibus manifestum facimus, quod post vespertinum Sacerdotum ad altare ingressum, ex consuetudine quæ servatur, nemo genu flectat, usque ad sequentem vesperam in die Dominico. Monet Ballamo in *Notis*, idem sanciri Canone Nicæno 20. &c. In *Epist.* quæ Ignatio tribuitur secunda legitur: ἐσοτιζέτω πᾶς φιλόχριστος τὴν κωδικὴν τὴν ἀναστάσεως, τὴν βασιλίδαν, τὴν ὑπερῶν πασῶν τῶν ἡμερῶν. *Quisquis Christum amat, ferietur die Dominico Resurrectionis die, Regina, Principe omnium dierum.* Etiam Tertullianus notat, Christianos ea die *Jejunium nefas duxisse, vel de geniculis adorare.* Ambrosius *Serm.* 41. de Pentecoste: *Erectos Resurrectione Domini celebrasse, inquit. Hæc & plura evincunt, Christianorum de Domino & Magistro suo tertio die resuscitato, doctrinam ac fidem, & πεπληρωσμένον πρῶγμα rem esse de qua persuasissimi Christiani sint, & eos de ea plenam habere ἀσφαλῆσαν certitudinem, Luc. 1: 14.* His addere animus erat alterum, recentiorem quidem, tamen pariter Catholicum Christianæ Ecclesiæ ritum, anniversariam Resurrectionis Christi commemorationem *Paschatis* festo piè, solenniter, non sine sanctæ lætitiæ testimoniis, celebrandi: præcone in templo alta voce promulgante, ἀνέστη κύριος, *resurrexit Dominus, cætu sacro respondente, verè resurrexit: Qui usus hodieque apud Græcos, Ruf-*



Ruffos etiam, non tantum in publico coetu, sed etiam in privato occurſu obtinet. Tum *ſepulchri Chriſti*, inde ab hujus Reſurrectione *Fata*, quæque tum hoſtium, tum amicorum Chriſti in id ſtudia fuerint, inveſtigatio: Quæ quamquam & ipſa plus minusve momenti ad Reſurrectionem Chriſti evincendam habeant, quia tamen teſtimonia ſunt, merè humana, poſterius autem hoc ſuperſtitione non careat, ad alia properamus.

XXX. Reſurrectionis Chriſti *Veritate* demonſtratâ, ejusdem *Reſurrectio* tum *neceſſitas*, tum *uſus*, *efficacia*, & *fructus* perpendenda veniunt, *Chriſti ſuis* *neceſſaria* autem ſuit ratione & *Patris* Domini noſtri Jeſu Chriſti, *ratione a. Dei Patris.* & ipſius *Chriſti*, & *hominis peccatoris* Chriſti morte redempti. *Pater* Chriſtum *eis* *ἐνδείξεν τῆς δικαιοσύνης αὐτῆς* in demonſtrationem *juſtitie ſue* tradidit, Rom. 3: 25. Idem eum reſuſcitavit, & reduxit ex mortuis, Act. 2: 24. 3: 15. 5: 30. Heb. 13: 20. Et quidem ut S. Paulus Rom 6: 4. *ἠγέρθη reſuſcitatus eſt Chriſtus διὰ τῆς δόξης ἔπαυτος* per *gloriam Patris*: Ut gloria Patris innoteſceret; ut Pater gloriam ſuam ita publicaret. Pater enim, qui eum qui peccatum non noverat, peccatum pro nobis fecit, noſtra peccata ei imputans, pœnas nobis peccatoribus debitas innocenti & ſancto imponens, eandem *juſtitiam* ſuam demonſtrare voluit, hujus Filii ſui, poſtquam *τὸ ἵκανόν*, quantum ad peccati vindictam & dilutionem requirebatur, ab eo acceptar, à doloribus, unguibus, & vinculis mortis liberatione, & dimiſſione, Act. 2: 24. 2. Cor. 5: 21. Eâdem Chriſti Reſurrectione, *Gloria Veritatis* Dei illuſtratur. Quia Deus Jeſum reſuſcitans *promiſſionem* Patris *factam liberis eorum implevit*, Act. 13: 32. Porro inde diſtinctum Patrem eſſe *Deum pacis*, Heb. 13: 20. & nos ſibi ipſi reconcilians ſibi, 2. Cor. 5: 18 19.

XXXI. Ut Filius ſui humiliatione, Patris: Ita viciffim Pater *b. Filii,* Filii exaltatione, *Gloriam* ejus quaſſivit, Joh 8: 54. 1. Pet 1: 21. 4: 11. Quæ illa nominis Patris & ſui glorificatio eſt, quam Chriſtus paucis ante ſuam crucifixionem diebus à Patre flagitavit, & naſtus eſt, Joh. 12: 16. 23. 28. Deus reſuſcitatione Chriſti eum *potenti dextra ſua* *ἐξῆραν*, exaltavit, ut ex Act. 5: 30. coll. v 31. patet. Hinc eum per *ſanguinem Teſtamenti æterni* (ob ſanguinem in Teſtamento æternorequilitum, ab eo effuſum) ex mortuis reduxiſſe dicitur, Heb, 13: 20. Ut



Ut enim eum pati, ita etiam in gloriam suam ingredi, gloriam quam ante mundum conditum apud Patrem habuit, toti mundo ostendere oportuit, Luc. 24: 26 47. Joh. 17: 5. Primus gloriæ hujus radius & in eam gradus fuit Resurrectio. Eâ enim *ωεισθη* definitè notatus est Filius Dei, Rom. 1: 4. Sanctus Dei, Act. 2: 27. Quem Deus sanctificavit, Joh. 10: 36. & qui se ipsum pro hominibus sanctificavit quò sancti fierent, Joh. 17: 19. De hoc Sancto Petrus, *εν ην δυνατον impossibile* erat, eum *αεγερωδην* retineri vinculis mortis, Act. 2: 24. Resurrectione ergo ejus declaravit Pater, eum obedientem sibi servum, partibus Sponsoris in se susceptis plenissimè defunctum. Et Filius ostendit, se habere vitam in se ipso, Joh. 5: 26. Mortuum quidem ex infirmitate, 2. Cor. 13: 4. 1. Pet. 3: 13. liberâ tamen illa: quodque adeo vitam deposuerit non coactus, non invitus, sed quòd & ipse sibi eam reddiderit, Joh. 10: 18. Nam resuscitatio Christi, & ipsius Filii & Patris opus fuit. Quomodo, cum Pater suscitavit, & Filius suscitavit? Sic, cum Filius suscitavit & Pater suscitavit? Quia Filius dixit, ego & Pater unum sumus, Augustinus Tract. 10. in Job. inquit. Habetis ita Personarum distinctionem, & operationis indivisibilitatem, idem ait de verbis Dom. Serm. 63. Ut Resurrectio testis sit, tum excellentiæ Personæ Christi, tum quod sit Mediator perfectus, ac solus sufficiens, omnibus ipsi obedientibus causa salutis æternæ futurus, Heb. 5: 9. Dum in Sepulchro mansit, in potestate fuit mortis. Si semper in potestate mortis mansisset, semper solvisset, morte inferior: neque ipse liberatus, neque eos pro quibus sponsoerat liberaturus fuisset. Resurrectione Christi Deus etiam nos docuit, Christum fore judicem orbis terrarum. Ut enim S. Paulus Act. 17: 31. Deus & quod diem statuerit, quo justè judicaturus est orbem, & quod id facturus sit per virum quem definit, fidem palam fecit omnibus, illo ex mortuis suscitato. Ex Resurrectione Christi etiam emicat eminens Christi jus in Ecclesiam, & futura Ecclesiæ cum Christo conjunctio in gloriâ. Ad hanc pertinent illa, 1. Thes. 5: 10. Mortuus est pro nobis, ut sive vigilemus, sive dormiamus unâ cum Christo simus. De Christi in Ecclesiam jure eminenti disserit S. Apostolus, Rom. 14: 7-9. Nemo nostrum sibi vivit, & nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur. Sive igitur vivamus, sive moriamur, Domini sumus, In hoc enim Christus & mortuus est, & resurrexit



revixit, & revixit, ut & mortuorum & viventium Dominus sit. Quæ verba quanquam commentarius aliquis sint in promissionem Cardinalem, *Sum Deus tuus*: & tum jus ut diximus, quod Christus morte sua in nos nactus est, post Resurrectionem autem in carne sua hætenus humili, illustrius exercet, tum officia & conditionem eorum pro quibus mortem gustavit, graphicè exprimant, per spatii tamen angustias ea enucleare prohibemur.

XXXII. Resurrectio Christi necessaria etiam erat ratione *Nostri*, qui ex ea uberimam beneficiorum, quæ 2. Pet. 1:4. maxima & *Quibus hac in vita confert 1. Justificationem.* *pretiosa* dicuntur, quorum tamen potiendorum absque Resurrectione Christi nulla spes, nec ullus mortis Christi fructus erat, nec messem colligimus. Ut enim Christus nec sui sed nostri causa; nec solus mortuus, sed nos cum & in illo mortui sumus: ita nec solus resurrexit, 2. Cor. 5:15. Eph. 2:5.6. Col. 3:1. Resurrectio autem Christi, & jus in ea beneficia solidum nobis esse declarat, & certam eorum accipiendorum *expectationem* nobis inspirat, & *fiduciam* de consequenda earum *possessione* instillat. Spiritus S. in his thesauris aperiendis, explicandis, laudandis copiosissimus est. Animus est ea sigillatim considerare, simulque *fructum* Resurrectionis Christi multigenum illum, tum in hac tum in altera vita degustandum propinare. Beneficiorum horum *primum* est *Justificatio*. Etenim qui *ob iniquitates nostras traditus*, *ἠγέρθη* resuscitatus est propter *justificationem nostram*, Rom. 4:25. Mors Christi fructus & effectus fuit tragicæ illius denuntiationis Gen 2:17. Deut. 27:26. Resurrectio ejus fons est benedictionis & vitæ, justis in lege Dei promissæ, conferendæ. Ut enim *peccati stipendium mors* est, Rom. 6:33. vitæ naturalis & spiritualis privatio & extinctio, æternæ & cœlestis denegatio, omnigenæ maledictionis immissio: ita justitiæ præmium est vita vera, omnimoda, terrestri nobilior. Omnis inquam, cujus homo, sive corpus sive animam ejus spectes, in hac & altera vitacapax est. Peccatum enim quidem aliqua mors est, privatio imaginis Dei, separatio à Dei summi boni amore, communionem, fruitionem, sine quo homo non vivit. Peccata ipsa sunt *opera mortua*, Heb. 9:14. & impura, hominem polluentia. Peccatores irrogeniti mortui sunt, impuri, qui aditu ad Deum prohibentur: quemadmodum & leprosi, & contactu cujusvis cadaveris, imprimis humani, durante impuritate sua



suâ à societate, ac si mortui fuissent, separabantur, Num. 12: 10, 12. 14. Unde & eorum mundatio, atque concessus in frequentata, imprimis sacra loca reditus, aliqua Resurrectio putata, insigne futuræ Resurrectionis pignus & Sacramentum fuit, 1. Cor. 15: 29. Justitia verò hominis vita est & quasi anima. Vita à justitia pendet & ex ea emanat. Quamdiu justitia hominis sincera & illæsa est, tamdiu vita hominis extra periculum est. Amisâ justitiâ de vitâ hominis actum. Eâ restitutâ vitam reciperat. Quanquam enim ipsi homini, justitiâ semel amisâ, impossibile fuit ad veri nominis justitiam, suis vel viribus vel actibus consequendam eniti: tamen Jesus Christus qui nobis à Deo factus est justitia, 1. Cor. 1: 30. justitiam æternam, Dan. 9: 24. omnibus perfectam numeris, qua & mortem abolevit, vitam autem & incorruptionem illustrem fecit per Evangelium, 2. Tim. 1: 10. adduxit. Justitiam inquam æternam, quâ omnibus ei obedientibus salutis æternæ causa factus est, Heb. 5: 9. vitam quam peccato amissimus perfectissimè nobis restituens. Vitam inquam, non tantum corporis, sed etiam animæ, sanctam, beatam, in hac vita & post eam: cujus vitæ Resurrectio Christi non tantum pignus, sed etiam causa est, Colofs. 2: 13. Etenim ea nobis irrefragabili testimonio est, quod Deus Legislator & Judex noster in perfectissima Christi justitia plenissimè acquiescat, & universis in Christum credentibus, vitam & remissionem peccatorum in nomine Christi ab eo flagitantibus, dare paratus sit.

Es 2. San-  
ctificatio-  
nem.

XXXIII. Eadem Christi Resurrectio in hac vita vitam restituit animæ. Actio enim divina qua ei vita per peccatum amissa, per & propter Christum postliminio redditur, dicitur *regeneratio, vivificatio, resurrectio*. Non tantum quia nova vita, spiritalis inquam, denudè nobis confertur: sed etiam quia radix ejus est Resurrectio Christi, 1. Pet. 1: 3. *Nos regeneravit in spem vivam sicut à mortuis per Resurrectionem Jesu Christi*. Plenius Paulus Col. 2: 11. explicatâ communione nostrâ cum circumcissione Christi, ἐν τῇ ἀποθανῶσι & σπομίαν τῶν ἀμαρτιῶν ἡμῶν σκεπόμενοι, in executione corporis peccatorum carnis, docet nos in *Baptismo*, cum Baptismum acciperemus, συνταφέντας conspectos esse Christo. Addit: in quo συνήθησθε unâ excitati estis per fidem operationis Dei, qui ipsum excitavit ex mortuis, v. 12. Nimirum Deus



Deus qui Christum ex mortuis excitavit, simul cum eo, & in eo, omnes illos in quibus (eâ potentiâ qua Christum resuscitavit, Eph. 1: 20.) fidem per Spiritum S. operatus est, excitavit ex mortuis jam tunc, Resurrectione spiritali: quæ ipsa pignus est Resurrectionis futuræ beatæ, ad gloriam, quæ Matth. 19: 28. πολλοὶ γενεαίαις regeneratio, & Luc. 14: 24. ἀναστῶν δικαίων Resurrectio justorum dicitur. Hinc Paulus Col. 2: 13. addit: Vos quum eratis mortui in lapsibus, & præputio carnis vestræ, (circumcisio enim eis qui eam acceperunt fuit aculeatio & convictio quod sint mortui in peccatis, adeoque coram Deo impuri) συνεζωοποίησε σὺν αὐτῷ, vivificavit cum ipso, condonans nobis omnes lapsus. Ut enim Circumcisio emblema fuit mortis Christi, cujus sanguine fædus Dei cum peccatore nititur, ita circumcissionis ad fæderatos applicatio, mors eorum aliqua cum Christo fuit. Fuit enim eis pignori, quod beneficio mortis Christi, Deus eorum futurus, id est, propter Sanguinem Christi effundendum peccata remissurus, & vitam æternam, tum spiritualem in hac, tum cœlestem in altera vita, eis daturus sit.

XXXIV. Mysterium hoc plenissimè explicatur, Rom. VI. ubi Confirmatio ✽  
ex Rom. VI Apostolus doctrinam suam de gratuita nostri justificatione, superioribus Capitibus stabilitam, adversus hostes gratiæ, objicientes, carnalem hominem inde captaturum occasionem permanendi in peccato, quò gratia abundet, tuetur: tum declarando, quod mortui simus peccato: tum inferendo ex eo, quòd tales nulla ratione peccato vivere possint. Utrumque efficit ex Baptismo. Ex eo enim constare a nos cum Christo esse mortuos, & sepultos, v. 3. 4. b. nos cum Christo etiam resurrexisse: at tales non amplius peccato vivere posse: sicut surrexit Christus ex mortuis per gloriam Patris, ita & nobis in novitate vite ambulandum. Ne cum Christo mortui, de communione cum ejus Resurrectione dubitent, v. 5. addit: Si enim συμφυτοὶ γεγόναμεν τῷ ὀμοιωμάτι & θανάτῳ αὐτοῦ coaliti (concorpores) facti sumus similitudini mortis ipsius, etiam (participes) Resurrectionis ejus erimus. Si enim ille qui pro nobis mortuus est, non amplius in potestate mortis, sed ea superior factus est: qui fieri potest, ut illi adhuc mortui sint, pro quibus Christus est mortuus? Si Christus vivit, vivent etiam illi. Nisi isti vixerint, vel Christus adhuc mortuus erit, vel falsissimum



est eos cum Christo mortuos. Nam si cum Christo mortui fuissent, non possent vivere in peccato, sed cum Christo revixissent. Hinc pergit Apostolus : *Hoc scientes veterem nostrum hominem ονεστωετομενον unā crucifixum esse, ut aboleatur corpus peccati, ut non amplius serviamus peccato* &c. Rom. 6 : 6 -- 11. Ad v. 12 -- 14. Ea omnia evincunt, a. Regenerationem, cujus filia est resipiscentia, rectè à Theologis constitui in mortificatione veteris, & vivificatione novi hominis. b. Utramque etiam ab universis in quos vitam suam novam Christus derivat, ab universis qui in & cum Christo resurrexere, graviter, religiosè, constanter exerceri. Eos autem omnes, in quibus hæc Christi vita se non efficaciter exerit, ut oves illas Ps. 49 : 15. æternam & infelicissimam spiritualis & infernalis mortis prædam esse. Id ipsum urgetur 2. Cor. 5 : 14. 15. *Christi charitas constringit nos, judicantes hoc, quod si unus pro omnibus mortuus est, ideo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est, ut qui vivunt, non amplius sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.* Nec non Rom. 14 : 7-9. Heb. 10 : 20. 21. Christus itaque & mortuus & resuscitatus est, tanquam caput nostrum : Nihil autem quod Christi est, quovis modo in perpetuo mortis imperio manere potest. Quicunque ejus membra sunt cum eo revixere. Cumque nobis vita etiam spiritualis, qua qui carent adhuc mortui, in potestate mortis sunt, cujus præda factus est Adam, nobis in Christo & cum Christo datur ut beneficium : eadem Christo contingit ut pramium, Ps. 1 : 8. Es. 53 : 10. 12. Id Christo non denegari : concessum, neque auferri, neque mutari potest : nisi vel Filii tot tantisque documentis roborata, vel Patris, ab ejus divinitate inseparabilis justitia, in discrimen advocetur. Neutrum dicere fas, nisi Deum se ipsum abnegare posse, impie fingas. *Qui non injustus est ut cujuscumque operis nostri boni obliviscatur*, Heb. 6 : 10. Justitiæ Christi oblivisci vel volet, vel poterit, præ qua operum nostrorum bonitas nulla est ? Rex, Sponsus, Pastor, populi sui, Sponsæ, Gregis pretioso suo sanguine acquisiti, minorem habeat rationem, & de eis securior sit quàm Moses ? Exod. 10 : 26. Videtis Joh. 17 : 12. 10 : 28. *Qui nullo suo membro mutuari potest, pupillâ suâ* Deut. 32 : 10 se privari patietur ? Unde justificationis, Sanctificationis, & Glorificationis beneficia in S. iteris toties adamantino nexu junguntur, v. gr. Rom. 8 : 1. 2. 4. *Nulla nunc*  
con-



condemnatio iis qui sunt in Christo Jesu : qui non secundum carnem ambulat, sed secundum spiritum. Nam lex spiritus vitæ in Christo Jesu, liberum me fecit à lege peccati & mortis &c. ut jus Legis impleatur in nobis qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. Id suo exemplo idem S. Apostolus plenius adstruit Gal. 2 : 19. 20. Ego per Legem Legi mortuus sum, ut Deo vivam. Christo crucifixus sum ; vivo autem, non jam ego, vivit autem in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Eadem omnium credentium fors. Ipse sumus factura, κτισθέντες creati in Christo Jesu propter bona opera, que ante preparavit Deus ut in iis ambulemus, Eph. 2 : 10. Gal. 5 : 54. Tit. 2 : 11. seq.

XXXV. Resurrectio Christi etiam vitam nobis dabit futuram, Post hanc vitam, animam & corpus vita gloriosa implebit. adeundam primum animâ solâ. Novimus enim, quod si terrestris nostra domus solvatur, structuram ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis, 2. Cor. 5 : 1. Suo tempore etiam corpus ejusdem gloriæ confors reddetur. Nam corpus etiam justificatorum & sanctificatorum mortuum (ei moriendum) est ob peccatum, Rom. 8 : 10. Heb. 9 : 27. Minime in pœnam peccati. Nulla enim est condemnatio iis qui sunt in Christo Jesu, Rom. 8 : 1. Sed in convictionem peccati, ad vitæ usque finem inhabitantis. Quisquis enim moritur, vel proprium vel alienum peccatum habet. Liqueat hinc purissima Dei sanctitas, quâ fit ut caro & sanguis, homo carnalis, non possit hereditare Regnum Dei, 1. Cor. 15 : 50. Hinc & illa Psal. 90 : 70. Conficimur per iram tuam : in ferocientis & superbulæ carnis hujus humiliationem, & caltigationem, Heb. 12 : 5 -- 11. Nec non in testimonium, quod, justitia quâ homo vivit, non actibus suis acquisita, sed Gratiâ Dei in Christo, ei donata sit. Hinc corporis & animæ nostræ separatio non erit perpetua. Erit suo tempore caro nostra æternum immortalis & beatæ animæ domicilium. Tandem Deus qui Dominum excitavit, nos excitabit per potentiam suam, 1. Cor. 6 : 14. Sepulchrum enim Christi castrum aliquod & propugnaculum mortis fuit. Mors in eo Christum vinculis constrictum tridudæ detinuit. Sed Resurrectio Christi hostilis Palladii destructio & illi stris aliquis de morte triumphus fuit. Qui se ipsum potuit, potest etiam alios vinculis



mortis expedire. Exitu Christi ex sepulchro, mors & sui destructionem passus est, & omne jus in Christum & omnes ei datos amisit, Joh. 5: 21. 6: 39. 40. 44. 54. Rom. 8: 11. 2. Cor. 4: 14. 1. Thes. 4: 14. 5: 10. Imprimis in eam rem nervosus est S. Apostolus 1. Cor. 15. nexum Resurrectionis Christi & nostræ ad fidelium conscientiam egregiè demonstrans. *Si Resurrectio inquit, mortuorum non est, nec Christus quidem excitatus est, v. 13. Si mortui non excitantur, neque Christus excitatus est.* Ἀπορχὴ τῶν νεκροποιημένων primitiæ dormientium factus est. Primitiæ messem & certò secururam & sanctam Deo futuram spondebant. *Quia per hominem mors, & per hominem est resurrectio mortuorum, v. 20. 21. Qualis pulvereus, tales & pulverei: qualis Cœlestis, tales & cœlestes: & quemadmodum tulimus imaginem pulverei, feremus etiam imaginem Cœlestis, v. 48. 49.* Conf. Phil. 3: 20. 21. Pariter Col. 2: 13. mors & vita, non tantum Christi, sed etiam nostra in Christo junguntur. Itidem Eph. 1: 20. 2: 6. & Christi & nostra tum resurrectio tum receptio in Cœlum connecuntur, certique reddimur, quod ut Christus resurrexerit & in Cœlum ascenderit, pariter quicumque in presenti vita cum Christo resurgunt, vita hac umbratili & incerta ad Colophonem perducta, sublimioris etiam illius confortes sint futuri. Christus enim & Jehova est, & hæc Salus ejus est, quam Jacobus in agone desideravit, & expectavit, Gen. 49: 18. Hic Goel est per quem Jobus liberationem à corruptione sepulchri, & cujus lætam visionem sibi promisit, Job. 19: 25. Hic Lignum illud vite quod est in medio Paradisi Dei, Ap. 2: 7. Christus enim est arbor, fecundus est, justitiâ & vitâ, fructum hunc non ad eò sibi quam aliis fert; Vitam non tantum ut illa Gen. 2: 9. oppignorat, sed confert: suum populum, eo loco quo ipse est i. e. cœli participem esse vult, Joh. 12: 26. 14: 3. Hinc eorum singuli sua faciunt illa Ps. 17: 15. *in justitia videbo vultum tuum, satiabor quum evigilavero specie tua.* Videbimus autem non quid in Deo sit, 1. Cor. 2: 11. Nec enim turbido illo Scholasticorum speculo utimur, in quo vel essentiam Dei, vel quid in Deo sit, perspiciamus. Qui essentiam rei cognoscit, eam intimè quanta quanta est perspectam habet. Deum ita cognoscere ulla creatura nequit. Nec essentia Dei ea ratio est, quæ speculi alicujus. Nec res & earum



rum ideæ, ita in Deo sunt, ut imago in speculo aliquo est. Nec visio Dei actus est instar ejus, quo vel vultum nostrum, vel alia in speculo contemplamur. Imago nostra in speculo non apparet, nisi quum nobis libitum est: non inquam antè, neque diutius quàm vultum speculo obvertimus. Et illud quod in speculo apparet nihil est nisi superficies nostri vultûs. Nemo ita desipit, ut vel Dei essentiam hoc modo concipiat, vel ea quæ extra Deum, nedum ea quæ in Deo sunt, beatis pariter obversari & cognita esse contendere auit. Neque species aliqua visibilis rerum quas Deus perspectas habet, in Deo est. Ipsa mens nostra Deum, se ipsam, multa alia, sine ejusmodi specie corporea concipit, & cognoscit. Horum conceptuum absurditas palpabilis est. Quid multis? Cui speculum intueri, imò cui speculum ne quidem videre contigit, qui species in eo repræsentatas observabit? Nulli creaturæ Dei essentiam videre licet. Quis ergo omnium, quid in Deo sit cognoscet? Essentiam Dei & quæ in Deo sunt, præter Deum nemo videt. Cæterùm qualis illa Dei visio & fruitio futura sit, nemo accuratè dixerit. Ipsi illi qui primus & solus in tertium Cælum raptus est, quæ illic audivit, & vidit <sup>supra</sup> fuerunt, 2. Cor. 12:4. Sufficit nobis de illa felicitate dixisse cum S. Paulo: *Vita nostra recondita est cum Christo in Deo, quum Christus manifestatus fuerit, tum & nos cum ipso manifestabimur in gloria,* Col. 3:4. Adde 1. Joh. 3:2.

XXXVI. Quamquam ergo Christus in terra hac non incesse-<sup>Confessio</sup> rit in pretiosa stola, instar Sacerdotum. *Notum enim est, quod fuerim & Elenchus* rit ex tribu Jude, ad quam Moses nihil dixit de Sacerdotio, Heb. 7:14. Quamquam etiam non gesserit superbum sceptrum. Sceptrum enim tunc à Juda erat ablatum, & Davidis domus ad obscurum tugurium redacta. Imò quamquam ut servus cruci affixus fuerit, fuit tamen ex semine David secundùm carnem: & secundùm Spiritum sanctitatis Filius ille altissimi, cui Dominus Deus dedit sedem Davidis Patris ipsius: qui que regnat in æternum, & regni ejus non erit finis, Rom. 1:3.4. Luc. 1:32.33. Obscura sorte quæ ei in hac vita obtigit, non usus est sine consilio Dei, non sine sanctissimis rationibus, studio gloriæ Dei Patris sui, amore generis humani deperditi excitus, nec sine Divino eoque multigeno fructu in nos redundante, cujus sine illa Christi hu-  
mi-



miliatione nec micam degustaturi eramus. cum exitu gloriosissimo, qui semper nobis animo versandus est. *Paupertate* enim ejus *ditati*: ignominia ejus, *gloriam*: servitute ejus, *libertatem*: *maledictione* ejus, *benedictionem* consecuti, *vulneribus ejus sanati* sumus, 2. Cor. 8: 9. 5: 20. Gal. 3: 13. 1. Pet. 2: 24. Mortuus quidem nulla culpa sua, sed *charitate perfectissima*: nostro & loco & bono, hinc & ruptis mortis claustris gloriosè resurrexit. A tanti beneficii fruitione arcentur, quicumque ἀγνωσία illa ἀφρονία ignorantia insana de qua Petrus 1. Pet. 2: 15. laborant. Sive quia eis Resurrectio Christi omninò non innotuit: Sive quia, cum Judæis eam in luce meridiana positam impugnant, propter quam infidelitatem & effraçti, Rom. 1: 20. & ἀναπολόγητοι inexcusabiles sunt. Videant etiam, quid Deo, Ecclesiæ, conscientia suæ respondeant, qui se nunquam infirmatos, sed vitam manus sue reperisse, vitam à se ipsis possidere, & in se ipsis habere, Ef. 5: 10. Qui ad justitiam vitæ parariam, suis aliorumque satisfactionibus, quotidiano Sacrificio propitiatorio, indulgentiis: ad spirituales vitam suis dispositionibus, præparationibus, liberi arbitrii viribus, gratiam vivificantem allicientibus, & elicientibus; ad gloriam, imò ad lauream, suis meritis, & supererogationibus se eniti posse somniant: qui certè Resurrectionis Christi vim vel omninò ignorant, vel petulanter & impiè abnegant. Sapere tibi videntur, qui functiones quæ capitis sunt, pedibus, manibusve tribuunt? Hæc capitis nostri gloria est, ut & vitæ & motus membrorum fons & unica causa sit.

Fidei in  
Christum  
resuscita-  
rum indoles,  
& consolati-  
onis ex  
Resurrectio-  
ne Christi  
bas.

XXXVII. Quid ergo Consilii? Enitendum est S. Pauli exemplo, ut cognoscamus Christum & vim Resurrectionis ipsius, & commotionem passionis ipsius, conformati morti ejus: si quomodo perveniamus ad resurrectionem mortuorum, Phil. 3: 10. 11. Ut ergò Paulus Agrippam: Quid! inquit, incredibile judicatur apud vos, ut Deus mortuos suscitaret? Act. 26: 8. Ita tu tuam conscientiam aggredere; Quid? incredibile judicas, Deum non tantum vel potuisse, vel voluisse Filium suum ex mortuis suscitare, sed revera suscitasse? Si credideris quod Deus eum ex mortuis resuscitaverit, futurus es salvus, Rom. 10: 9. Id nondum faciunt qui dicunt se habere hanc fidem, Jac. 2: 14. Sed illi in quibus vis hujus Resurrectionis se exerit. Utut enim Resurrectionis hujus



hujus vis multò sit maxima, nihil tamen ejus ad eos vel hætenus emanavit, vel emanabit deinceps, qui in peccato & transgressionibus mortui manent. Resurrectio Christi illis in quibus vitam spirituales non efficit, non proficit. Itaque *memento Jesu Christi excitati ex mortuis, ex semine Davidis secundum Evangelium*, 2. Tim. 2: 8. Siquidem *Christus per fidem in corde nostro habitat*, Eph. 3: 17. semper de Christo nobis cogitandum. Jugis Resurrectionis Christi memoria, perpetua ruminatio ejus, oblectatio in tanto Dei beneficio, gratiarum actio, parva tibi erunt inexpugnabilia adversus carnis concupiscentis & inescantis, mundi irritantis, invidentis, irridentis, insultantis, persequentis, occidentis, Leonis rictu & rugitu suo territantis, mortis te consternantis, & prosternentis, & sepulchri vermicibus tradentis arma. *Quis est qui condemnat? Christus is est qui mortuus est, imò qui resuscitatus est: qui etiam est ad dextram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*, Rom. 8: 34. Christus resurgens pacem suis offert, affert, confert, Joh. 20: 19. 26. Pacem quæ excedit omnem nostrum captum, & desideria nostra abundè satiati, Phil. 4: 7. & de qua S. Paulus Rom. 5: 1. At idem nos *συνεζωοποίησε* vitæ tertio die sibi redditæ confortes reddit. Elias, & Paulus mortuis incumbentes, vitam eis restituerunt. Christus resuscitatus animæ nostræ se jungit, & vitæ novæ illi author fit. Sol enim ille justitiæ est, qui sub alis suis sanitatem & salutem advehit, Mal. 4: 2. Hac abundabunt quotquot alis ejus fide se committunt, vitam hanc & sanitatem redditam, desiderium etiam ac spem plenissimæ sanitatis ipsis olim impertiendæ demonstrantes, humilitati, temperantiæ, charitati student. Quotquot enim cum Paulo (virtute Resurrectionis Christi) spem concipiunt, *resurrectionis mortuorum, exercent se ad conscientiam habendam, sine offensa apud Deum, & homines semper*, Act. 24: 15. 16: Est enim eorum symbolum illud S. Pauli Phil. 4: 13. *Omnia possum in Domino me corroborante*. Tum & illud Cypriani, lib. de patientia: *Non loquimur magna sed vivimus*. Nimirum ut virtus Dei insignis in Christo resuscitando se exeruit, ita magna Resurrectionis Christi Vis efficaciter operatur, in eis qui Christi sunt. Cognoscunt illi, experiuntur, revera percipiunt Christum: quod sit Christus, id est, quod à Patre Spiritum acceperit omnibus sibi à Deo datis, donandum. Nominatim cognoscunt

vim



*vim resurrectionis ejus ex morte. Accipiunt enim & deprehendunt in se ipsis novam ex Resurrectione Christi scaturientem vitam : quod quemadmodum Pater noluit Filium suum : ita nolit Christus à Deo adoptatos, suos & fratres & liberos, in morte manere, sed per Spiritum vivificari, ne post hac carni, mundo, sibi vivant, sed in novitate vitæ ambulent. Quos Resurrectio Christi tales reddit, illi communionem habent passionum ejus, conformes sunt morti ejus, ut filii Abrahami credunt Deum vivificare mortuos, & vocare ea quæ non sunt, ut sint, Rom. 4 : 17. in hac fide hinc migrant & olim ad*

*Resurrectionem mortuorum pervenient, exclamaturi jugiter :*

*Deo sint gratiæ, qui nobis victoriam largitur  
in Domino nostro Jesu Christo,*

*1. Cor. 15 : 57.*

F I N I S.





Jé 2511

ULB Halle 3  
002 379 813



7200

VD17 VD18











Act. Cap. **XIV. 24.**  
EXERCITATIO THEOLOGICA,

10,

22

*Quâ*  
**RESURRECTIONIS  
CHRISTI**

**VERITAS, AD JUDÆORUM  
CONVICTIONEM: ET EFFICACIA,  
AD CHRISTIANORUM INFIRMORUM**

**Tum Correctionem tum Erectionem,  
demonstratur.**

*Eam,*

*κατὰ τὸ μέτρον τῆς σωτηρίας τοῦ Χριστοῦ,*

*Placide & amice Disquisitioni subjecit*

**JOH. JACOBUS HOTTINGERUS,  
S. Theol. Profess.**

*Respondente,*

**JOH. CASPARO IRMINGERO, V. D. M.**

*Assumente,*

**JOH. GEORGIO HIRZELIO, S. TH. STUD.**

*Post. Synodi Vernal.*

**H. L. Q. S.**

**TIGURI,**

**EX OFFICINA GESSNERIANA,  
AN, M D CC XXII,**

